




Disputatio philologico-juridica de utilitate et auctoritate poeseos et poetarum in jurisprudentia, nec non de utilitate jurisprudentiae in legendis et explicandis poetis


<https://hdl.handle.net/1874/295345>

A. qu. 192, 1779 (Dr. C. Ackersdyck).

A. qu.

192





Diss Utrechtse 17 Ag 1892

DISPUTATIO PHILOLOGICO - JURIDICA
DE UTILITATE ET AUCTORITATE
POESEOS ET POETARUM IN JU-
RISPRUDENTIA, NEC NON DE
UTILITATE JURISPRUDENTIÆ
IN LEGENDIS ET EXPLICAN-
DIS POETIS,

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

G I S B E R T I B O N N E T ,

S. S. Theol. Doct. & Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, &
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ decreto,
P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
Privilegiis rite ac legitime consequendis,*

*Publico Examini Submittit
WILHELMUS CORNELIUS ACKERSDYCK,
S Y L V A D U C E N S I S .*

Ad Diem XIII. Decembris MDCCCLXXIX. H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG;
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXIX.

BIBLIOTHEEK DER
RIJKSUNIVERSITEIT
UTRECHT

*NOBILISSIMIS ATQUE
AMPLISSLIMIS VIRIS*

*D. WILHELMO CORNELIO
ACKERSDYCK, J. U. D.*

CIVITATIS SYLVADUCENSIS NUPER SCABINO,
NUNC VERO SENATORI, ATQUE IBIDEM
CAUSARUM PATRONO INCLYTO, PRUDEN-
TISSIMO; PATRI OPTIMO CARISSIMO, PER
TOTAM VITAM DEBITA PIETATE ET OBSE-
QUIO COLENDO.

*D. PETRO JOANNI FRANKEN,
EJUSDEM CIVITATIS OLIM SCABINO, NUNC
SENATORI; AVO OMNI AMORE ET REVE-
RENTIA PROSEQUENDO.*

N E C N O N

*D. HENRICO JACOBO ACKERSDYCK,
VIRO LITERATISSIMO.*

*D. CORNELIO LAMBERTO
ACKERSDYCK, J. U. D.*

EXSCABINO, ET SENATORI CIVITATIS SYLVA-
DUCENSIS, IBIQUE CAUSARUM PATRONO
DISERTISSIMO CELEBERRIMO.

D. LEONARDO FRANKEN, J. U. D.

EJUSDEM CIVITATIS ANTEA SCABINO, JAM
SENATORI, CAUSARUM PATRONO INTE-
GERRIMO.

ILLIS PATRUIS, HUIC AVANCULO
ÆSTIMATISSIMIS MAGNO HONORE
ET VENERATIONE COLENDIS.

*Hanc disputationem, qua:
decet, grati animi re-
ligione & observantia.*

D. D. D.

W. C. ACKERSDYCK,

A U C T O R.

DISPU-

L E C T O R I
S A L U T E M.



olent illi, qui opus aliquod in publicam lucem emittunt, de causis, quibus ad scribendum impulsi sunt, præfari; hac lege me non eximerem, nisi vel ipse titulus cauſam hujus opusculi edendi tibi satis undique indicaret.

Hocce opusculum, (quod Sylvæ-Ducis, in urbe patria, mibiique præ cæteris carissima, Trajecto jussu parentum, ne contagia morbi vicini læderent, profugus, maximam partem composui & totum in ordinem digesti) in duas partes distribuere visum est.

Parte priore pauca de artis poëticæ origine & dignitate, de legislatoribus poëtis, de affinitate inter Jurisprudentiam & poësin, narrabo; tum multos Jctos ipsos poëtas fuisse, aut saltem poëtas magni aestimasse, eorumque carminibus saepe usos fuisse, demonstrabo; e contrario poëtas

A mul-

multos inveniri J̄Ctos, eosve in poëmatibus suis specimina Jurisprudentiae edidisse, ostendam; ipsos Imperatores, postquam J̄Ctorum munere in rescriptis functi sunt, nonnunquam ex poëtarum scriptis sapuisse, probare conabor; quo jure J̄Cti poëtarum testimoniis usi sint, eaque Justinianus in corpus juris retulerit, inquiram; denique rationem constitutionis Philippi Imp. contra poëtas perscrutabor.

Hisce breviter disputatis, ad partem alteram transeo, cui præmittam prolegomena, quibus poëtarum de Jurisprudentia & J̄Ctis sententias proferam.

Ipsam hancce partem in tres sectiones divisi; prima sectione dicta poëtarum, quæ loca juris variis modis explicant; secunda, loca poëtarum, quæ ex jure illustranda sunt; tertia sententias poëtarum, quæ aperte cum sententiis J̄Ctorum vel Imperatorum convenient, recensebo, eaque, quæ ipse legendō observavi, vel ex aliis didici, pro ingenii paupertate explicare conabor.

Omnia

*Omnia autem loca non nisi ex poëtis Latinis,
qui ab an. ante Chr. nat. 189. usque ad an.
post Chr. nat. 405. vixerunt, desumpta sunt;
roget forte quis, idque merito, cur non etiam
loca ex poëtis Græcis buc retulerim; respondeo,
me, non nisi ex poëtarum Latinorum scriptis
sententias, huic materiæ aptas, collegisse, quia
eorum tantum lectione otia terere consueveram,
& quod mibi per brevissimum studiorum tempus
etiam Græcorum poëmata legere bucdum non
licuerit.*

*Adbuc est, quod te, Candide Lector, mone-
am; omnes versificatores nomine poëtarum in-
signivi, non quod mibi omnes hoc nomine digni-
visi sint, sed quod putem, sermone plane
utendum esse, ut nummo, cui publica forma
est (ut ait Quintilianus). Seculum autem est
omnes carminifices poëtas vocare; præterea hac
in re definienda judicium mibi credere minime
ausim.*

*Denique, si in hoc meo opusculo varios erro-
res sæpiuscule offendas, me non tantum homi-
nem,*


[4]

nem, sed admodum juvenem, imo in studiis tironem esse, memineris, obnixe rogo.

Vale.



DISPU-



DISPUTATIO PHILOLOGICO- JURIDICA

D E

UTILITATE ET AUCTORI-
TATE POESEOS ET POE-
TARUM IN JURISPRU-
DENTIA, NEC NON DE U-
TILITATE JURISPRUDEN-
TIÆ IN LEGENDIS ET EX-
PLICANDIS POETIS.

P A R S P R I O R.



CAPUT PRIMUM.

§ I.

Poësis ars illa Divina, hominum Divumque voluptas,
a plerisque omnium artium antiquissima habetur,
& quidem adeo, ut non tantum nonnulli, missis
Ethnicorum fabulis, ejus originem ad Mosem, Divinum illum

A 3

Hebræor.

Hebræorum ducem & legislatorem, referant, sed etiam ab ipsis rerum incunabulis repetere ausi sint, idque non tantum Philosophorum placitis, sed etiam eo, quem Christiana religio probat, modo, afferi posse, statuerunt (a). Nullo enim alio pacto cœlestes illas catervas, Divorum choros, inter se modulationibus concinere, quam hac ipsa cœlesti poësi & harmonia; Deum itaque Optimum Maximum hanc artem ipsum mortalibus largitum esse.

§ II. Certe poësis ab omni ævo apud omnes populos in tanto honore fuit, ut laudes Deorum, leges populo ferendas, nulla alia, quam hac arte componerent, Unde Moses, David, Salomon, viri æque Deo dilecti, ac populo Israëlitico legislatores sapientissimi, poëtæ fuerunt.

§ III. Apud Græcos Solon leges metro compositas tulit, cuius legislatoris versus nonnulli adhuc producuntur (b), Terpander leges Lacedæmoniorum versibus conscripsit (c), Thales, qui leges condidit, & præceptor Lycurgi fuit, poëmata lyrica scripsit (d), præterea Cretenses jussérunt, liberos suos leges

(a) Vid. Gyraldus, Dial. I. de poëtarum historia', Tom. II. Oper. pag. 30. litt. C. seqq.; & Rollin maniere d'enseigner & d'étudier les belles lettres, Tom. I. Lib. II. cap. 1. Art. 1.

(b) Vid. Clemens Alexandrinus Lib. I. stromat. pag. 380. edit. Col. 1588., & Suidas in voce *Solon*, Videat. etiam Clarkius ad Homeri Iliad. Lib. II. vs. 558.

(c) Vid. Clemens Alexandr. Lib. I. strom. pag. 308.

(d) Legatur Cragius de Republ. Laced. Lib. III. cap. I.

PHILOLOGICO - JURIDICA.

?

leges ediscere, idque cum quodam concentu (*e*); nimirum carminum illecebris in ipsa impolitarum gentium pectora suavitas quædam illabitur, qua, si quis in legibus rigidus & acer spiritus adsit, seu quædam necessaria servitus, mitis redditur & amabilis, libenter accipitur, & diutissime servatur.

§ IV. Sed ne nimis a proposito divellar, missis aliis populis, ad Romanos transeam; uti apud Græcos antiquissimum est e doctis genus poëtarum, ita Romanos a Græcis doctrina & omni literarum genere superari, Cicero demonstrat (*f*), quia Romani serius poëtam acceperunt, neque huic generi honorem fuisse, Catonem enim in oratione *M. Nobiliori probrum objecisse*, quod is in provinciam poetas duxisset (*g*), narrat.

§ V. Nihilominus in ipsis Urbis incunabulis solebant in epulis de clarorum hominum virtutibus canere. Ipsos quoque legislatores Romanos primis temporibus poëtas fuisse, nonnulli existimarunt, quia Cicero dicit: *disceramus pueri Legem XII tab. ut Carmen necessarium* (*h*). Idem fere de pueris Varro narrat: ait enim, *morem fuisse, in conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & affa voce & cum tibieine* (*i*); inter quæ carmina Lex XII. tab. forsan etiam fuit.

Con-

(*e*) Vid. *Ælianuſ Variar. Histor. Lib. II. cap. 39.*

(*f*) *Lib. I. Tuscul. quæſt. cap. 1.*

(*g*) *Ibid. cap. 2.*

(*h*) *Lib. II. de Legib. cap. 23.*

(*i*) *Lib. II. de vita populi Romani, in edit. optima J. Scaligeri, Dordrecht 1619, in fragmentis, pag. 62. num. 15.*

8. D I S P U T A T I O.

Contrarium tamen putavit & demonstravit Cl. E. Otto Iesus
egregius (*k*).

§. VI. Jam ante legem illam carmina satis erant nota, imo
mali hominis iis jam abuti cœpisse videntur, malum enim car-
men ibi prohibetur, de quo loco Scipio Gentilis multa conges-
sit (*l*), & quantam vim eo tempore carminibus tribuerint, in-
de patet, quod ibi pœna statuitur illis, qui aliis incantationibus
nocerent, de quo loco alibi plura dicemus.



C A P U T II.

§. I.

Uti poësis legislatoribus, sic & omnibus, quibus leges in-
terpretari & explicare mandatum est, Juris Consultis ni-
mirum, profuit; magna quippe jurisprudentiam inter & poë-
sin affinitas est, quam eleganter Scipio Gentilis demonstra-
vit (*a*).

§. II. Sicut enim poëtarum propositum est, homines in ci-
vitate reddere meliores, ita quoque Politica, cuius præcipua
pars

(*k*) In præfat., quæ tomo tertio Thesauri Juris Romani præmittitur,
ibique pag. 5.

(*l*) Lib. II. Parergor. cap. 30. Tom. II. oper. pag. 403. Quæ Parerga
etiam inveniuntur in Ottonis Thesauro Juris Romani Tom. IV. pag. 1269.

(*a*) Lib. II. Parergor. cap. 30. Tom. II. Oper. pag. 403.

PHILOLOGICO - JURIDICA.

9

pars Jurisprudentia est, idem tractat, unde, ut poëtæ Musarum, sic JCti, justitiae sacerdotes dicuntur; præterea, uti JCti in Jurisprudentiæ definitione ad eam requirunt *Divinarum & humanarum rerum notitiam, justi & injusti scientiam* (b), eodem modo Horatius, poëtam omnibus numeris perfectum describens, in eo desiderat, ut *Philosophiam, Eloquentiam, Reipublicæ arcana, Jurisprudentiam, artem militarem calleat* (c).

§. III. Theophrastus apud Quintilianum ait, *lectionem poëtarum oratori plurimum conserre, cuius judicium multos sequi*, Quintilianus narrat, neque id immerito; ex poëtis enim in rebus spiritum, in verbis sublimitatem, in affectibus motum omnem & in personis decorum peti, præcipueque, velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optime rerum talium blanditia reparari (d).

§. IV. C. van Eck egregius ille vir, Academiæ Trajectinæ quondam summa cum laude Antecessor, hanc sententiam suam fecerat, affirmans, *se in pistrinum damnari, ant lapicidinas ac latumias, vel aquæ & ignis interdictionem pati malle, quam necessitatem sibi imponi, totam vitam in jejuno & sterili solius juris studio, & ineptis Glossograpborum commentariis pervolutandis ita consumendi, ut non liceret, quandoque hunc pulverem in amoenissimis poëticis spatiis excutere* (e); idque semper cum summo & incredibili usu fru-

et u-

(b) L. 10. §. 1. ff. de Justitia & Jure.

(c) In arte Poëtica vs. 309—315.

(d) Lib. X. Inst. Orat. cap. I. §. 27. ed. Gesneri.

(e) In Oratione de Studio Poëticæ conjungendo cum Studio Juris Ci-

et que conjunctum esse, affirmat, & alibi demonstrat (f). Nimirum poëtarum lectione vita, mores emendantur, & petitis ex eorum ingenii monumentis sapientiae præceptis animi componi possunt.

§. V. Sed quidam rigidi morum censores hic nobis contradicent & argumentabunt ex Quintiliano (g), *Poësin solam petere voluptatem*; addent multos poëtas esse morum corruptores, quippe obscenis suis carminibus nihil praeter turpitudinem docentes, Catullum, Tibullum, Propertium, nonnunquam Ovidium, Martialem nequitiis scatere, ideoque eorum lectionem vitandam esse, si non castrarentur, id est nervis ac genio priventur.

§. VI. Hæc est febriculosa superstitione male feriatorum centrum, sic Franciscus Sacchinus Italus Perusinus, Munitio Vitellesco, Societatis Jesu præposito (ut dicunt) generali, quondam a secretis (h), habuit, Romæ an. 1603. Orationem

de

vilis Franequeræ an. 1693. habita pag. mihi 26 & 27. in editione, quem cum compendio ff. prodiit. Trajecti ad Rhenum an. 1697. in 8. quem virum eruditissimum mibi inter agnatos, quinto gradu mecum conjunctum, quippe patris mei avunculum magnum, numerare licet.

(f) In oratione altera de eadem materia habita Trajecti an. 1695. pag. mihi 61.

(g) L. Supra l.

(h) Vid. Witte diarium Biographic. ad d. 26. Decembr. an. 1625, quo tempore Sacchinus mortuus est.

de vitanda librorum moribus noxiiorum lectione (i), ubi severe veterum poëtarum, paucis exceptis, lectionem prohibet; sed hæc secundum genium illorum hominum, qui facta pietate poëmata nequitiis simulque genio suo privare solent, & Christianorum quorundam minorum gentium versificatorum ineptias, Romanorum poëmatibus sapientia, ingenio, doctrina plenis præferre non erubescunt.

§. VII. Ejusmodi quoque est Tanaquilli Fabri, Tanaquilli illius celeberrimi filii, Annæque Dacieriae fratris germani, libellus *de futilitate poëtices* (k), de cuius libelli ipsius futilitate multa scripsit Morhoff (l) s; ideoque nihil addendum puto (m).

§. VIII. Cl. Eck hisce censoribus objicit, historicos scriptores

(i) Quæ cum alio ejusdem viri libello *de ratione libros cum profelli legendi* prodiit Lipsiæ 1711. in 8. quæ editio mihi suppetit, memoratur alia Romæ 1650. in 12. edita, & libris rarioribus adnumeratur a Voglio in Catal. libror. rarior. pag. mihi 59.

(k) Editus est ille libellus Amsterodami an. 1697. in 8.

(l) In Polyhistore Tom. I. Lib. VII. Cap. I. § 1. pag. mihi 1003.

(m) Hoc tamen observem, præfationem parum huic libello aptam esse, maxima enim illius materia est, auctorem fatu sua queri, præsertim, sibi e Gallia in Helvetiam, & inde in Bataviam profugo, per conventum pastorum Gallica lingua concionantium, non licere dispensare sacramenta, erat enim verbi Divini minister. Contra hunc librum peculiarem dissertationem a Fred. Schultzio Lipsiæ an. 1698. eruditorum examini expositam esse, docet Buddeus in Isagoge Historico Theologica Lib. I. Cap. IV. §. 12. pag. mihi 148. Videatur etiam Jacobi Terpstra Orat. adversus iniquos artis poëticæ existimatores. Daventriæ 1776. pag. 26.

tores Tacitum, Suetonium & alios eandem ob causam non esse legendos, saepe illos flagitia tam aperte narrare, ut vel ea docere videantur, imo in ipso corpore juris Justinianei crimina prohiberi, quorum lectio noxia quoque foret lectoribus. Non autem huic argumentationi satis ponderis inesse mihi videtur, illi enim lectores magis ab iis criminibus deterrent, quam ad illa alliciunt, quod praesertim in legibus obtinet, poetae vero turpitudinem mira venustate tegunt, eamque lectoribus amabilem efficere student, nec itaque in eo convenientiunt.

§. IX. Merito autem Vir idem celeberrimus afferere videatur, non adeo mores hac lectione corrumpi, inquirenda autem omnia, bona sequenda, mala fugienda, si quis vero, utroque cognito, malum sequatur, error ille non in inquisitione boni & mali; sed in ipso homine, vel per imprudentiam, vel per malitiam errante, querendus est.

Non possum non versiculos Hugonis Grotii, egregii illius Jurisconsulti & Poetae, Bataviæ decoris, qui mihi modo succurrunt, huc referre; nimirum epigrammate, cuius titulus est: *Libri an puellis dandi, canit:*

*Crede nihil nostris, aut omnia crede puellis;
Lectricis mores pagina nulla facit.
Quæ casta est, totum leget incorrupta Catullum,
Illi nil tutum est, quæ capit, & capitur (n).*

Atque

(n) Lib. I. Epigrammat. pag. mihi 346. edition. a Guilielmo Grotio, Hugonis fratre, curatæ L. B. an. 1637. in 8.

Atque hoc non tantum de puellis; sed de omnibus lectoribus affirmare nullus dubito (o). Neque etiam poëtæ ob figmenta & fabulas culpandi sunt, sub iis enim res egregias comprehenderunt, Cl. Eck hac de re plura memorat (p), ideoque misam facio.



C A P U T III.

§ I.

Hisce paucis de jurisprudentiæ & poësi affinitate indeque poëtarum lectionis, ut omnibus hominibus, sic quoque JCtis utilissima, enarratis, nemo miretur multos JCtos antiquos, vel ipsos poëtas fuisse, vel saltem poëtarum scripta summo in honore habuisse, eorumque lectione otia terere solitos fuisse. Ovidius Servii cujusdam carminum mentionem facit, canens:

*Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi
Carmina* ————— (q).

Quem Servium JCtum fuisse Cicero docet, eum enim eloquen-
tie

(o) Hac de re, ut & de poësi in genere multa profert Buddæus Lib. I. Cap. IV. §. 12. pag. 145—154. & R. Lowth. in Orat. de poëtica fine & utilitate, quæ lectionibus Academicis de sacra poësi Hebraeorum præmititur a pag. 1—22. ed. Oxon. 1763.

(p) Orat. altera. pag. 76—87.

(q) Lib. II. Trist. vs. 441 & 442.

tie tantum assumisse ait, *ut jus civile facile posset tueri (r), ideoque jurisprudentiae maximam lucem attulisse (s).*

§ II, Leguntur tetraistica quinque, quorum primum præfationem, sequentia singulorum librorum Georgicon Virgili argumenta continent, quorum quatuor posteriora in antiqua quadam operum Virgilii editione (t) singulis libris georgicon præmittuntur (v) cum hoc titulo: *Hæc sunt carmina Ovidii*, in appendice Virgilii a Jos. Scaligero edita (w) incerto poëtæ tribuuntur (x), cui etiam adscribuntur in editione Petr Burmanni a Petro Burmanno juniore curata (y). Horum autem carminum Modestinus JCtus auctor habetur ab J. A. Fabricio (z), idem Scipio Gentilis (a), B. Rutilius (b), J. Bertran-

dus

(r) In Bruto Caput. XL.

(s) Ibid. Cap. XLI. de hoc Servio poëta & Jureconsulto vid. Otto in libro singulari de vita Servii Sulpitii Cap. II. §. 5. Invenitur autem hic liber in Thesauro Juris Tom. V. pag. 1555—1630.

(t) Quæ prodiit Nurnbergæ impensis Anthoni Koberger. an. 1492. in fol. Suppetit mihi hæc editio. Videatur de hac editione Cl. Heyne in Elencho edition. Virgilii, qui Tom. I. pag. XLIII—CXIV. edition. Operum Virgilii Lipsiæ an. 1767. ab eo curatæ invenitur ibique, pag. LVI. & in addendis, que Tomo IV. pag. 193. & seq. inveniuntur ibique pag. 201.

(v) Scilicet fol. 25, 41, 55 & 66.

(w) Lugd. 1573. in 8.

(x) Pag. 156.

(y) Tom. I. ante ipsum opus pag. 27.

(z) In Biblioth. Latina ab J. A. Ernesti Lipsiæ an. 1773. edita. Tom. I. Lib. I. Cap. XII. pag. 311.

(a) Lib. II. Parerg. cap. 31. pag. mihi 405. & 406.

(b) Cap. LXV. pag. 189. in vitiis tripartitis JCtorum veterum parte I.

dus (*c*) & Eckius (*d*) afferunt, Ciosanus vero eadem Ovidio Nasoni ob titulum & præfationem adscripsit (*e*), Petrus Burmannus major (*f*), & Heineccius (*g*) incerto Grammatico, Wielingius (*b*) vero Modestino Grammatico, a Modestino nostro JCto diverso, tribuunt; quænam autem sententia vera habenda sit, doctorum judicium esto, Scipio Gentilis tamen *neminem* JCtorum Modestino poëtica laude præferendum esse, putavit (*i*).

§ III. Idem Scipio Gentilis, genium poëticum multis JCtis proprium & poëtarum lectionem usitatam fuisse, etiam inde probat (*k*), quod in fragmentis Scævolæ, Javoleni, Pomponii, Caji, Tryphonini, Ulpiani, Pauli, Marciani & Modestini, quæ in digestis obvia sunt, versiculi occurrant, quorum loca accurate indicat: doctissimus Hommelius Professor Lipsiensis elegantissime multos JCtos poëtas fuisse demonstravit (*l*).

JurisCtos autem poëtarum scripta lexitasse aperte patet, ubi
easdem

(*c*) Cap. XXXI. pag. 151. ibid. parte II.

(*d*) In Orat. priori pag. 15.

(*e*) In notis ad Lib. VI. Metamorph. Ovidii vs. 117. in edit. Burmanni Tom. II. pag. 390.; vid. etiam Fabric. Bibl. Lat. Lib. I. Cap. XII. pag. 378.

(*f*) In Antholog. Veter. Poëtar. Latin. Amstel. 1759. Lib. II. epigr. 188. Tom. I. pag. 372, & ep. 189. pag. 374.

(*g*) In Hist. Jur. Rom. Lib. I. Cap. IV. §. 350. in notis. pag. 457. edit. Lug. Bat. 1748.

(*b*) In Jurispr. refut. in Ind. JCtor. Alphab. pag. LXXXIV.

(*i*) Loco laudato.

(*k*) Lib. II. parerg. cap. 31. Tom. II. Oper. pag. 407.

(*l*) In Literatura Juris in edit. Lips. 1761. Lib. I. cap. 19. §. 126 pag.
360

easdem res iisdem verbis & sententiis, ac poëtæ proponunt & explicant, quorum exempla nonnulla parte altera hujus disputationis enarrabo & quantum in me est, inter se conferre & explicare conabor.

§ IV. Multo autem honore poëtæ a JCtis habitæ sunt, eorum auctoritas admodum in jure valuit, præcipue Homeri, unde Papinianus, Gajus, Ulpianus, Paulus, Marcianus, Saturinus, & Modestinus Homerum ejusque poëmata passim laudarunt, quæ loca adcurate adnotavit Scipio Gentilis (m).

Inde etiam clarissimus Petrus Fermatus Tolosanus, testibus Menagio (n) & Januario (o), idque secundum prioris viri testimonium diligentissime, & multo diligentius Scipione Gentili,

360—374.; in editione vero Lips. 1719. Lib. II. cap. 3. pag. 280—294.; videatur etiam Schroderus Observat. Jur. civil. Lib. IV. cap. 4. pag. 333. edit. Harder. 1754.

(m) Lib. II. Parergor. cap. 5—15. Tom. II. Operum pag. 357—379. Accusatur tamen a Menagio, in Amoenitat. Jur. Civil. cap. 43. pag. mihi 459. edit. Parisiens. 1677. in 8., unum locum Papiniani, scilicet l. 9. §. 1. ff. de Supellect. legata, omisisse, quam tamen vir ille doctissim. in mea editione, cap. IX. pag. 365., explicat, forsitan in aliis editionibus hæc defiderantur, est autem mea Neapolit. anni 1763. De Homeri auctoritate præfertim apud Papinianum videatur Otto in Papiniano Cap. I. §. 4. pag. mihi 34—36., edit. Lugd. Bat. 1718.; nec non Klotzius in Miscellan. critic. Cap. II. pag. 11. & 12. edit. Traject. 1763. & Schroderus Observat. Jur. Civil. Lib. I. Cap. VIII. in fine pag. 61.

(n) L. L.

(o) In Republ. JCtorum pag. 342. nunquam autem mihi hanc Dissertationem videre licuit.

tii, nec non Jo. Henricus Schlegelius (*p*) dissertationes de autoritate Homeri apud JCtos scripsierunt.

Pomponius JCtus Ennium laudavit (*q*), Marcianus & Florentinus Virgilii loca allegant, sed de his parte altera agemus.



C A P U T IV.

§ I.

Uti JCtos saepe poëtas fuisse vidimus, ita etiam multi poëtæ jurisprudentiam calluerunt; Gellius narrat, *Grammaticum quendam versus nonnullos Ennii non a poëtis, sed a Juris peritis explicandos esse*, quippe non ex literis poëticæ, sed ex jure petitos, pustasse, (*a*) unde etiam C. W. Küstnerus vir doctissimus Chrestomatiam juris Ennianam scripsit (*b*): Erh. Reuschius Professor

Eleq.

(*p*) Vir ille art. lib. mag. & Jur. Utr. Candid. hanc Dissertationem priorem præside F. Strunzio Poël. P. P. publice Vitenbergæ mense Januario A. 1717. defendit, potissimum autem in græcis versatur, neque illum locum ex poëta Latino desumtum non ubivis obvium explicavit, aut recensuit, licet rubrum dissertationis sit de poëtarum sigilatimque Homerij auctoritate; hujus vero dissertat. notitiam debeo Viro Consult. Hieronymo van Alphen, cuius ingenium, doctrinam & virtutem semper mirabor, cuius humanitatis, dum vivam, grato animo recordabor.

(*q*) L. 2. §. 38 ff. de Orig. Juris; vid. Scip. Gent. l.l. Cap. XX. pag. 387.

(*a*) Lib. XX. cap. 10.

(*b*) Quæ chrestomathia cum elegantissima præfatione prodidit Lipsiæ 1762.

Eleq. & Poëf. Helmstadii singulari disquisitione probare conatus est, Virgilium JCtus fuisse (c): J. G. Editor, JCtus & Antecessor de jurisprudentia Horatii Flacci egit (d).

§ II. Ovidium, licet Masson, cum caussidicum non fuisse, demonstret, (e) jura tamen satis novissime ex eo patet, quod & publici & privati judicis personam egerit (f), Silium Italicum JCtum fuisse, satis ex versibus hisce Martialis apparent:

*Hunc miratur abduc centum gravis hasta virorum,
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens,
Emeritos Musis & Phœbo tradidit annos,
Proque suo celebrat nunc Helicona foro (g).*

Juris

in 8. hunc libellum mecum communicavit Cl. Saxius Praeceptor meus, cuius viri egregiam doctrinam, acrejudicium, & in juventute instruenda accuratam diligentiam miror, quem de me optime meritum semper grato animo colam.

(c) In *disquisit. de P. Virgilio Marone Jureconsulto ex Ecl. III. vs. 17—24. inslita Helmstadii an. 1728.* quam mihi Cl. Saxius etiam suppeditavit, recensetur autem illa in *Operibus Virgilii ab A Kriegel cum Notis Germanico idiomate scriptis secundum edition. P. Burmanni Francof. & Lipsiæ 1778.* in 8. editis, ibique in præfat. prima, pag. (si ab initio numeres) 9.

(d) In *Praefatione ad L. A. Hambergi opuscula ad elegantiorum Jurisprudentiam pertinentia. Jenæ & Lipsiæ An. 1740.* edita, ibique pag. VIII—LIV.

(e) In vita ejus pag. 88.

(f) Videat. Idem ibid. pag. 63—66. 89. & 90—92.

(g) Lib. VII. Epigr. 63.

Juris peritia horum & aliorum poëtarum patebit ex locis poëtarum, quæ vel necessario ex jure explicari debent, vel cum eo plane convenient, quæ parte altera explicare studebo.

In republica JCtorum venusto illo & elegante opere a Josepho Aurelio de Januario, qui fuit advocatus Neapolitanus, conscripto, multi quoque poëtæ prodeunt (b).

Non semper itaque verum est, quod canit Faustus Audrelinus:

*Litigiosa fugit studiosus Jurgia vates,
Non amat insanum musa quieta forum (i).*



C A P U T V.

§ I.

Postquam Imperatores ipsi in rescriptis suis de jure responderem cœperunt, JCtorum formulæ usi sunt, neque tamen ex illis solis, sed etiam ex philosophorum & poëtarum scriptis multa ad rescripta sua retulerunt, unde tot sententiæ poëticæ, neque in legibus ab Imperatoribus latis, ac in responsis JCtorum inve-

(b) Pag. 345 — 349.

(i) In distichis ejus una cum Pistorii, Verini, Dardani, B. Jovii & Lazarelli carminibus Basili. apud Frobenium A. 1518. in 4. edit. pag. 84.

inveniuntur, quarum nonnullas Vonckius (*a*) & ex eo Putmannus (*b*) annotarunt; quasdam etiam parte altera disputationis producam.

§ II. Justinianus Imp. in Institutionibus, postquam dixisset, *jus civile ab unaquaque civitate appellari, quoties vero nomen non additur jus civile Romanum intelligi*, illud exemplo illustrat, uti plures sunt Poëtæ apud Græcos & Romanos, tamen sæpius poëtam tantum dici, atque tum apud Græcos egregium Homerum, apud Romanos Virgilium intelligi (*c*). Vides, quanto in honore etiam Imperator ille noster poëtas habuerit, ut vel ab eorum nominibus exempla deducat.

(*a*) In Observationib. Miscellaneis Cap. XXXII. pag. mihi 123—127.

(*b*) Lib. II. Probabil. Jur. Civil. cap. 4. pag. mihi 34—36. ex hoc libello nonnulla, huic materiæ satis apta, ad hanc disputationem conferre licuit, idque benigna humanitate M. Tydemanni Promotoris, & antea Præceptoris mei summe venerandi, cuius institutiones egregias, & plurima in me collata beneficia semper grato animo referre conabor.

(*c*) §. 2. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civil.

C A P U T VI.

§ I.

Hic paucis inquirendum censeo, quibus in rebus poëtarum scripta JCtis potissimum usui veniant; quo jure JCti eorum testimoniis usi sint, & Justinianus Imp. ea in Corpore juris reservaverit.

Officium JCti tribus præcipue rebus absolvitur: legis sensu eruendo; factis ad eam applicandis; casibus dubiis in ipsa lege non expressis eruendis.

§ II. In ipsa lege explicanda saepe verborum significatio multum explicationi prodest; Schlegelius in hac re poëtarum auctoritatem rejicit (*a*), quia Quintilianus, *non ab illis*. *Jed ab Oratoribus & Philosophis auctoritatem petendam*, ait (*b*). Sed Schlegelius sequentia Quintiliani verba omisit, addit nimirum, *in illis, ubi satis patet poetas nulla metri necessitate coactos esse, eorum auctoritatem non reprobari*; præterea Quintilianus loquitur de auctoritate poëtarum ad vocum & sententiarum usum probandum allegata; nihil itaque vetat veram vocum significationem

ex

(*a*) In Dissertat. supra laud. pag. 21.

(*b*) Lib. I. init. Orator. cap. 6.

ex locis poëtarum eruere, idque sœpe magnam lucem legi explicandæ afferre potest; quod fore, ut ex quibusdam locis, parte altera recensendis, satis pateat, spero.

§ III. Etiam ubi de vera legislatoris sententia dubium est, illud ex poëtarum scriptis determinari potest, ubi scilicet mores suorum temporum sine ulla fictione decantant, aut exempla, quibus legis effectus appareat, proferunt; atque sic etiam Doct. Huberus censuit (*c*), exempla quoque parte altera quædam inventur. In applicandis factis ad ipsam legem multum etiam poëtæ conferre possunt, idque etiam parte altera probare conabor.

§ IV. Quantum vero auctoritas poëtarum in casibus dubiis, neque a lege decisus, valeat, exempla, in annalibus Taciti (*d*) & variis Digestorum locis obvia, satis undique demonstrant, atque ita JCti non immerito poëtarum locis usi sunt, quod etiam Mornacuis (*e*) & Schilterus (*f*) JCti affirmant; ast satis ridicula videtur argumentatio, ex verbis Ulpiani: *cuique in sua arte neque in alia credendum esse* (*g*), desumpta, quam profert Regnarus ab Oosterga (*b*).

Neque

(*c*) Ad Tit. Inst. de poena temere litigant. n. 5.

(*d*) Lib. IV. cap. 43.

(*e*) Ad L. un. ff. de Off. quæst. pag. mihi 61.

(*f*) In exercitationib. ad ff. exerc. IV. §. 5. pag. mihi 46.

(*g*) L. i. pr. ff. de Inspic. Ventre.

(*b*) Censura Belgica ad L. I. §. 1. ff. de contr. empt. pag. mihi 432.

Neque quicquam causæ video, cur Justinianus culpari queat, quod illa testimonia poëtarum in corpore juris reservari concesserit; sic enim fundamenta, quibus JCTorum sententiæ nitebantur, innotescunt; neque cuiquam merita laus negatur, quæ nonnunquam poëtis debetur, ex quibus JCTi sæpe sapuerunt.

Utilitatem autem hanc & auctoritatem poëtarum parte altera, quasi tacite, multis locis, ex eorum scriptis petitis, afferere apud animum constitueram, unde quoque ea pars in multo majorem molem excrescat necesse est.



C A P U T VII.

§ I.

Adhuc investigandum mihi supereft, quare, cum apud Legislatores & JCTos poëtarum auctoritas tanta fuerit, & toties eorum nomina & scripta in jure nostro obseruentur, privilegia tamen iis omnino sint denegata.

Scilicet Philippus, ab a. post Chr. nat. 244. usque 249. Imperator, lege sua pronunciat: *Poëtæ nulla immunitatis prærogativa juvantur* (a).

Quod mirandum, pictoribus etiam, qui semper cum poëtis con-

(a) L. 3. Cod. de prof. & med.

conjugantur, privilegia data sunt; estne itaque respondendum, multa a majoribus esse scripta, quorum ratio reddi nequit?

§ II. Multæ hujus constitutionis rationes, a viris doctis ex-cogitatæ, contrarium docent; Magnus ille Cujacius dixerat, *immunitatem hic poëtis denegari, non quia non mereantur, sed quia lex deficiat.*

Non autem hinc ratio legis explicatur; Philippus enim, quippe ipse legislator, leges, quæ nondum in gratiam poëtarum erant latæ, ferre poterat, Honorius & Theodosius Impp. nova lege nova privilegia Grammaticis, Oratoribus & Philosophis dederunt (*b*), cur Philippus idem de poëtis non fecit, id enim est inquirendum.

§ III. Scipio Gentilis ait, *bac lege non tam poësin, quam otium de vita tolli* (*c*); quibus verbis indicare videtur, illos homines privilegiis privari, qui, poësin colentes, otio vitam degunt, non nisi convivia & epulas frequentant, qui, poësin sibi ignaviæ veniam impetrare, putantes, nihil commodi patriæ, atque non, nisi incommodum civibus afferunt: poëtis autem jam olim inertiam probro objici solere, ex verbis Ovidii patet:

*Quid mibi livor edax ignavos objicis annos,
Ingeniique vocas carmen inertis opus* (*d*).

Sed

(*b*) L. 11. eod.

(*c*) Lib. II. parerg. ap. 1. Tom. II. Oper. pag. 351.

(*d*) Lib. I. Amor. El. XV. V. 1 & 2.

Sed nullum discriminis inter otiosos poëtas & ingenuos Musarum sacerdotes vestigium in hac lege cernitur.

Odiosæ forent hæ rationes, si veræ, quod poësis, ut mathematica & haruspicina, digna visa fuisset, quæ tali lege, quasi tacite & republica eliminaretur, aut quod poësis, æque ac histrionia, potius cum nota ignominiae ferretur, quam honoretur.

§ IV. Gratiösior ratio est, quam profert Perezius (e), scilicet, *poëtas, laude immortali contentos, nulla privilegia curare, ideo iis privari quoque facile posse*, sed idem de Oratoribus & aliis, quibus privilegia concessa sunt, verum est, atque hoc magis solatum poëtis, quam rationem hujus legis profert.

Aliam tamen Perezius (f) & Brunemannus (g) proferunt; scilicet *artem illo tempore non magno honore fuisse habitam*, sed de hac sententia agemus infra.

§ V. Eckius hasce rationes addit (b); unam, tot jam egregios poëtas Romanos priscis temporibus fuisse, ut nihil eo tempore novis versificatoribus opus esset, qui tum judicio plane corrupto certe pristini temporis poëtas non superassent, sed ne cum iis quidem unquam conferri potuissent.

Ita

(e) Ad Tit. Cod. de prof. & med. n. 24. pag. mihi 750.

(f) Ibid.

(g) Ad d. I. 3. pag. mihi 1223.

(b) In Orat. priori pag. 33—36.

Ita nostris temporibus ratiocinari possumus, non autem putem, Philippum Imp. tam probe corruptelam judicii, quæ ipsius tempore vigebat, novisse, ut in eadem opinione ac Cl. Eckius ver- fatus fuisset.

§ VI. Altera, quam profert, est hæc: *poëtas eo tempore tam parvo numero fuisse (i)*, ut vix de poëtis aliquid constituere operæ pretium effet, legislator autem non cogitat nisi de iis, quæ plurimum accidunt, ut ait Pomponius Jctus (k).

Sed hæc sibi ipsa sunt contraria, si enim ob parvum poëtarum numerum legislator in eorum gratiam non cogitasset, etiam legem poëtis odiosam non tulisset.

§ VII. Sed idem Eckius (l) & Brunemannus (m) adhuc unam causam proferunt, scilicet *privilegia omnibus omnium fere artium ac disciplinarum Professoribus datam, non quia doctri, sed doctores illarum sunt, poësin autem a Professoribus doceri nec solere nec posse*.

Ad hanc rationem confirmandam, Cl. Eckio probandum foret, non nisi professoribus privilegia concessa esse; sed contrarium patet

(i) Satis hoc apparebit, si quis onomasticon Cel. Saxii ad hæc tempora inspiciat, nullum enim nisi Modestinum, versificatorem inveniet.

(k) L. 3. ff. de legib.

(l) In Orat. pr. pag. 38.

(m) Loco supra jam laudato.

patet ex verbis Gaji JCti (n), omnes enim pictores non tantum artis illius professores, gaudent hac exceptione, ut tabula alterius, in qua per errorem pinxerunt, eorum picturæ cedat, non pictura tabulæ, idque contra juris regulam, qua id, quod rei primariæ accessit, ei cedit, non res primaria ipsi rei, quæ illi accessit, & secundum quam necessario pictura, tanquam res accessoria, tabulæ tanquam rei primariæ cedere deberet.

§ VIII. Maxime autem arridet hæc ratiocinatio Doct. Eckii (o): *Philippum Imp., quem, si Christianæ religioni nomen non dederit, illi tamen favisse satis constat, in hac lege contra poëtas ferenda, in consilium forsan adhibuisse persuasionem illam pupularem, quæ animos Christianorum impleverat; lectio poëtarum animos Christianos veri Dei Mysteriis initiatos corrumpti & depravari; hæc Eckius.*

§ IX. Certe superstitione Christianorum, si non illis, saltem sequentibus temporibus, eo stultitiae progressa est, ut poëtarum Ethnicorum poemata legere Christianis probossum imo illicitum esse putarent; satis hoc patet ex hisce dictis Hieronymi: *Sacerdotes, Dei omissis Euangeliis & Prophetis, videmus, comedias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, Virgilium tenere & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis; Nec non ex verbis Isidori: Prohibetur Christianis figura*
legere

(n) L. 9. §. 2. ff. de acquir. rer. domin. addatur. §. 34. Inst. eodem.

(o) Loco proxime laudato.

legere poëtarum, quia per oblectamenta inanum fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum; non enim solum thura offerendo dæmonibus immolatur, sed etiam eorum dicta libentius capiendo. Imo carmen componere in vitiis positum fuisse ex aliis Hieronymi verbis apparet: nonne vobis in vanitate sensus & obscuritate mentis ingredi videtur, qui jambum ferit (ita enim legendum non fervet neque struit) qui tantam metrorum sylvam in suo studijs corde distinguit & congerit. Atque hæc omnia, a Gratiano monacho in collectionem suam relata, in parte prima corporis Juris Canonici inveniuntur (p), indeque auctoritate Pontificis Maximi vim legis habent.

Homines tamen illi superstitioni versificatores Christianos, saltem nonnullos, non sprevisse videntur; Gelasius enim scribit: Venerabilis viri Sedulii paschale opus, quod beroicis (olim legebatur hereticis) (q) descripsit versibus, insigni laude proferimus, item Juvenci nibilominus laboriosum opus non spernimus; sed miramur;
quæ

(p) C. 2. 3. & 15. D. XXXVII.

(q) Vid. Strauchi amoenitat. Jur. Canon. Ecl. VI. cap. 4. pag. 141. edit. Jen. 1675., Arntzenius in specimine observation. quod post Sedulii edition. Leovard. 1761. invenitur ibique cap. X. pag. 70 & 71., C. Burmannus ad Vitæ Hadriani VI. a P. Jovio conscriptæ cap. XV., in Analect. Historic. de Hadriano VI. Trajecti 1707. editis pag. 133.; Idem ad J. Pierii Valeriani Lib. II. de Infelic. Literat, pag. 148. ibidem pag. 429.; & P. Vlaming ad Lib. III. Epigr. 4. Sannazaril, pag. 268—270. edition. Amstel. 1728., ubi simul ostenditur, quantum Hadrianus VI., Pontifex Maximus, arti poëticæ ejusque cultoribus adversatus fuerit.

quæ verba quoque in Decreto, quæ est pars prima corporis Juris Canonici, leguntur (r). Si quis plura de lege Philippi cupiat legere adeat Schroderum (s) & Putmannum (t).

(r) C. 3. §. 25 & 26. D. XV.

(s) Observat. Jur. Civil. Lib. IV. cap. 4. pag. 330—334.

(t) Adversariorum Juris universi Lib. II. cap. 2. pag. 37—50. edit.
Lipsiæ 1778.





P A R S A L T E R A

P R O L E G O M E N A.

Priusquam ad recensendos varios Poëtarum locos pergam,
placet hic eorundem de jurisprudentia, jurisconsultis &
foro Romano sententias præmittere.

§ I. Admodum acerbe in jurisprudentiam Ovidius invehi-
tur, canens:

*Quid mibi livor edax ignavos objicis annos
Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me verbosas leges ediscere: nec me
Ingrato vocem prostituisse foro.
Mortale est, quod quæris, opus: mibi fama perennis.
Quæritur, in toto semper ut orbe canar (a).*

Quid acerbius? Quid vehementius excogitari posset? Sed non
quidquid a quovis oratore & poëta, qui in utramque partem disputare,
& τα πεδη̄ mouere solent, in utilissimam illam & pulcherrimam ar-

tem

(a) Lib. I. amor. El. XV. vs. 1, 2, 5—8.

tem jurisprudentiam diētum est, avide arripiendum esse, vir conful-
tissimus Joannes Luzac eleganter demonstravit (b).

Solent Poëtæ, non tantum veteres; sed & recentiores artem
nostram perstringere; sic Palingenius versificator Italus canit:

Vix paucis novisse datum, quo tendere tutum,
Qua sit iter, per quod vera & bona summa petantur.
Non docet hoc gemini nodosa scientia juris,
Non Rhetor, non Grammaticus, sapientia sola
Hoc aperit, fida hæc hominum dux atque magistra (c).

In diētis autem Ovidii magnus iræ impetus cernitur, neque ve-
nustum illum poëtam Jurisprudentiam semper sprevisse constat;
fuit enim Decemvir, ut ipse testatur.

Inter bis quinos usus bonore viros (d).

& itaque judicis officio functus est, testante enim Pomponio
JCto, *Decemviri litibus judicandis erant constituti (e):* alibi quo-
que se judicem privatum egisse ait:

Res

(b) In Specimine Academico exhibente observation. nonnullas apolo-
geticas pro JCtis Romanis ad Loc. Ciceron. in Orat. pro Murena cap.
XI—XIII. Lugd. Bat. 1768. in proleg. §. 1—6.

(c) In Zodiaco vitæ Lib. II. Tauro vs. 62. seq. de cuius auctoris nomine,
vita & scriptis quædam non ubivis obvia colligere licuit.

(d) Lib. IV. fastor. vs. 384.

(e) L. 2. §. 29. ff. de Orig. Juris.

*Res quoque privatas statui sine crimine iudex,
Deque mea fessa est pars quoque viata fide (f).*

Notandum etiam Ovidium hoc acerbum de jurisprudentia iudicium adhuc juvenem scripsisse, libros enim amorum anno ætatis vicefimo octavo edidit.

§ II. Virgilius, ipso Justiniano Imperatore teste (g), per eminentiam Latinorum Poëta, jus Romanum culpare videtur, *jus ferreum* vocans (h); quod Servius recte per vocem *durus* explicare videtur, sic saltem Cicero: *Ferreus essem, si te non amarem (i)*.

Ast forsitan non immerito poëta jura illorum temporum dura nominavit; ex Lege, enim XII. tabl., testante Pomponio JCto (k), legis actiones, quibus inter se homines disceptarent, compositæ fuerunt, easque, ne populus, pro ut vellet, illas institueret, solemnes esse voluerunt, de quibus Cicero: *Ita jus civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit (l)*: Quintilianus: *Est certe servitus ad certa se verba adstringendi, est etiam periculoseum, cum, si in uno verbo sit erratum, tota causa cedisse*

(f) Lib. II. Trist. vs. 95. & 96.

(g) §. 2. Inst. de Jure Nat. Gent. & civ.

(h) Lib. II. Georg. vs. 501.

(i) Lib. XV. Epist. 21.

(k) L. 2. §. 6. ff. de Orig. juris.

(l) De invent. Lib. II. cap. 19.

cidisse videamur (m): & Seneca: Quid enim aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur (n):

Hacce duras ineptias Theodosius & Valentianus Imperat. demum prorsus sustulerunt (o).

Præsertim autem hæc jura erant ferrea rusticis, nam de illis hoc loco canit Virgilius, dixerat quippe: *Fortunatus & ille, Deos qui novit agrestes (p), his enim, certe plerisque, cum Gri- po pescatore apud Plautum (q) dicendum foret: Neque ego istas vestras leges urbanas scio.*

§ III. Placet hic varia fori, cuius crebra apud poëtas mentio, epitheta recensere.

Ab Ovidio vocatur plenum:

Dicta tibi pleno verba diserta foro (r).

Idem *litigiosum* nominat.

Et fora Marte suo litigiosa vacent (s).

Eodem

(m) Lib. VII. Inst. Orat. cap. 3. §. 17.

(n) Epist. XLVIII.

(o) L. 2. Cod. de formul. & impetr. action. sublat.

(p) L. L. vs. 493.

(q) In Rudente A. IV. Sc. III. vs. 85.

(r) Ep. ex Ponto Lib. III. Ep. V. vs. 8.

(s) Lib. IV. Faft. vs. 188.

Eodem modo Martialis cecinit:

————— *Fora litibus omnia servent :*
Ipse potes fieri Marfyæ Caussidicus (t).

Id est in foris adeo disputatur, ut ipsa Marfyæ statua, quæ
in foro erat erecta, nisi auditu careret caussidicus fieri posset.

Apud Ovidium quoque verbosum audit:

Fortia verbosi natus ad arma fori (v).

Et rursus:

Cedunt verbosi garrula verba fori (w).

Pro quo Seneca rabulas forenses perstringens dixit *clamofum*;
hoc modo:

*Hic clamofi rabiosa fori
Furgia vendens improbus, iras
Et verba locat ——— (x).*

Dicit etiam Naso forum ingratum.

In

(t) Lib. II. Epig. 65.

(v) Lib. III. ex Ponte Ep. V. vs. 8.

(w) Lib. III. Trist. El. XII. vs. 18.

(x) In Hercule Furente A, I. vs. 172-174.

Ingrato vocem prostituisse foro (y).

Fortasse, quia opus, quod in foro peragitur, mortale esse, neque per illud opus famam perennem acquiri monuerat; sed de hoc loco supra egimus.

Idem ille Poëta forum *argutum* vocavit:

Flammaque in arguto sæpe reperta foro (z).

Est autem hoc sensu *argutum* idem ac *resonans*, quod strepitum facit; sic Silius Italicus:

*Circum arguta cavis tinnitibus æra, simulque
Certabant rauco resonantia tympana pulsu (a).*

Indeque ferra ob ingratum stridorem a Virgilio *argutum* dicitur (b); forum autem ob frequentem vocem JCtorum hoc nomine insignitur, sic Megaronides senex apud Plautum garrulitatem *argutam* vocat:

*Nibil mendacioquius, neque argutum magis,
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant (c).*

A.

(y) Lib. I. Amor. El. XV. vs. 6.

(z) Lib. I. de Arte Am. vs. 80.

(a) Lib. XVII. vs. 18 & 19.

(b) Lib. I. Georg. vs. 143.

(c) In Trinummo A. I. S. II. vs. 163 & 164.

A Virgilio denique nominatur *insanum*:

Insanumque forum & populi tabularia vidit (d).

Eodem modo Propertius canit:

*Tum mihi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro (e).*

Servius ad locum Virgilii *insanum* explicat per *litigiosum*, alio loco (*f*) per *magnum*; forum autem *insanum* dici potem, quod promiscuo eoque ingentisonitu, indeque *insano*, fremit: eodem modo Poëta hac voce de fluctibus usus est:

Huc ades, insani feriant, sine, littora fluctus (g).

Et Tibullus de ventis:

Stare vel insanis cautes obnoxia ventis (h).

Neque immerito Virgilius & Propertius hoc sensu forum *insanum* nominasse videntur; prostat enim exemplum ejusmodi *insaniæ* apud

(d) Lib. II. Georg. vs. 502.

(e) Lib. IV. El. I. in fine.

(f) Ad Ecl. IX. vs. 43.

(g) Eod. loco.

(h) Lib. II. El. IV. vs. 9.

apud Ciceronem in causa Milonis, ubi præsidia militum forum tuebantur, ut non modo auxilium defensioni Ciceronis ferrent, sed etiam silentium efficerent (*i*).

Ovidius vero res magis gratas de foro memorat, illudque vel amori convenire venuste differit, quem locum totum describere lubet.

*Et fora convenient (quis credere posset) amori;
Flammaque in arguto sæpe reperta foro.
Illo sæpe loco capitur Consultus amore,
Quique aliis cavet non cavet ipse sibi.
Illo sæpe loco desunt sua verba diserto:
Resque novæ veniunt, causaque agenda sua est.
Hunc Venus e templis, quæ sunt confinia, ridet,
Qui modo patronus nunc cupit esse cliens (k).*

Nimirum JCtus ibi sæpe amore capitur, & qui clientibus suis, illis defendendis, cavet, sibi ipsi ab amore cavere nequit, defunt tunc JCto, alioquin in causa peroranda diserto, verba apud amicam proferenda, res novæ, non, quæ ad forum pertinent, sed ad amorem, ipsi agendæ veniunt; Venus, cuius statua in templis prope forum inveniebatur, huncce JCtum ridet, qui modo clientum suorum patronus fuerat, nunc cupit esse cliens Veneris: Hic videtur sensus versuum Ovidii.

Solent

(i) In Orat. pro Milone cap. I. n. 3.

(k) Lib. I. De Arte Am. vs. 79—86.

Solent autem poëtæ ad agricolarum bonam fortunam referre,
quod forum vitent: Sic Virgilius de ejusmodi homine canit:

*Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea jura
Insanumque forum, nec populi tabularia vidit (l).*

Et Horatius:

*Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus excercet suis,
Solutus omni fœnoro,
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina (m).*

§ IV. Videamus quoque, num ipsi JCti Poëtarum carminibus
memorentur. Horatius de illis cauit:

— — — — *Consultus juris & auctor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalæ, nec scit, quantum Casselius Aulus:
Sed tamen in pretio est — — — — (n).*

Poëta

(l) Lib. II. Georg. vs. 500—502.

(m) Epod. Oda II. vs. 1—4, 7 & 8.

(n) In A. Poët. vs. 369. seq.

Poëta hic ostendit recte medium & tolerabile in quibusdam rebus concedi, sic JCtum & actorem causarum mediocrem in pretio esse, sed poëtas mediocres esse, non Deos, non homines, non columnas concedere, cuius differentiæ rationem sic demonstrat; ut symphonia discors, crassum unguentum, & papaver cum melle fardo inter gratas mensas offendunt, quia coena sine iisis duci potest, sic poëma natum & inventum juvandis animis, si paulum a summo decessit ad imum vergit; quod in jurisprudentia non obtinet, non enim vita sine illa, ut mensa sine cantu & odore, duci posset, neque ea, ut poësis, ad juvandos animos, sed ad utilitatem generis humani nata & inventa est, ejus artis peritia a summa decidere potest, licet non ad imum statim vergat; mediocribus itaque esse JCtis & Dii & homines concesserunt.

Ovidius docet, illos, qui jurisprudentiæ student, decere bonas artes addiscere, canens:

*Disce bonas artes (moneo) Romana juventus,
Non tantum trepidos ut tueare reos,
Quam populus, judexque gravis, leitusque senatus,
Tam dabit eloquio victa puella manus (o).*

Quem tamen locum male intellexisse videtur Joannes Jacobus Mauritius elegans versificator Batavus, qui hosce versus ver-

tic

(o) Lib. I. de Arte Am. vs. 459—462.

tit (p), quasi Ovidius dixisset; non tantum disce, Romana
juventus, quomodo trepidos tueare reos, sed disce etiam bonas
artes: Sensus autem hic esse videtur: disce bonas artes, Ro-
mana juventus, non tantum, ut trepidos tueare reos, sed æque
puella, ac populus, judex atque senatus, eloquio victa manus
dabit.

Horatius perversa tempora & mores quærens pristinum idque
laudabile JCtorum institutum memorat, canens:

*Romæ dulce diu fuit, & solemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura (q).*

Ad quem JCtorum morem Tibullus, venustus ille & nativa
aliqua elegantia præditus poëta, respiciens, se quasi consultum
amorum prædicat;

*Gloria cuique sua est, me, qui spernuntur, amantes
Consultent, cunctis janua nostra patet (r).*

Plerumque Jcti apud poëtas male audiunt, Lucilius, cuius
non nisi fragmenta supersunt (s), versibus apud Laetantium ob-
viis (t), canit:

Nunc

(p) *Dichtlievende Uitspanningen* Amsterd. 1751. pag. 96.

(q) Epist. Lib. II. Ep. I. vs. 103 & 104.

(r) Lib. I. El. IV. vs. 77 & 78.

(s) Quæ edita sunt, simul cum Censorini libro de die natali a S. Ha-
vercampio Lugd. Bat. 1742. in 8.

(t) *Divin. Instit.* Lib. V. cap. IX.

*Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto,
Toto itidem pariterque die, populusque patresque
Jaçtare indu foro se omnes, decadere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere & arti:
Verba dare, ut cäute possint, pugnare dolose;
Blanditia certare, bonum simulare virum se;
Insidias facere, ut si hostibus sint omnibus omnes (v).*

Hunc locum Diodorus Tuldenus magnus ille JCtus laudavit,
eleganter explicavit, & ad sua tempora accommodavit (w).

Quæ Horatius de JCtis canit:

*Agricolam laudat juris legumque peritus
Sub Galli cantum consultor ubi osña pulsat (x).*

Non tam in dedecus JCtorum, quam totius generis humani dic-
tum est, postea (y) tamen JCtum perfidum cauponem nominat

pro

(v) Videatur Editio Havercampii pag. 192.

(w) In libris de Jurisprudentia extemporalib. Lib. II. cap. 9. pag. 221. edit.
Lovan. 1643. in 4., quem egregium virum Patriæ meæ civem esse gaudeo,
gloria enim Sylvaducens dici meretur, quippe Sylvæ-ducis natus, edu-
catus & ejusdem urbis Senator fuit, vid. Valerii Andreæ Bibl. Belg. pag.
183 & 184. Foppens Bibl. Belg. Tom. I. pag. 239 & 240. & Witte Diar.
Biograph. ad d. 12. Dec. an. 1645. ejus opera in fol. quatuor codicibus
Lovanii an. 1701 & 1702. edita satis sunt nota & a viris doct's laudata.
Vid. etiam de Tuldeno ejusque operibus J. F. Juglers Beytrage zur Ju-
ristischen Biographie des dritten Band. erstes Stuck, Lipsiæ 1777. pag. 118—124.

(x) Lib. I. Sat. I. vs. 9 & 10.

(y) Vs. 29.

42 D I S P U T A T I O

pro quo Schroderus legit *providus cautor* (z); sæpius vero ob garrulitatem memorantur, unde Juvenalis feminam garrulam describens, addit:

— — — *Quæ cum discubere cœpit,
Turba tacet, nec caussidicus nec præco loquatur* (a).

Quo etiam respicit Martialis canens:

— — — *Res est magna tacere Mathon* (b).

Erat enim Mathon caussidicus, ut discimus ex Juvenali:

Caussidici nova cum veniat lectica Mathonis (c)

Atque ob idem illud vitium a versificatoribus recentioribus culpantur; unde Benedictus Jovius tale distichon in malum causidicum composuit:

*Te clamante forum reboat, subsellia nutant,
Præterem obtundis garrule caussidice* (d).

Ob

(z) Lib. Emendation. cap IV. edit. Leovard. 1776. pag 68—71., de qua conjectura Schroderi vid. Biblioth. Critica parte IV. pag. 92.

(a) Sat. VI. vs 438.

(b) Lib. IV. Epigr. 81.

(c) Sat. I. vs. 30—34.

(d) Vid. ejus disticha Basileæ A. 1518. in 4. edita pag. 53.

Ob loquacitatem JCti apud Martialem *rauci* dicuntur: postquam enim dixerat, quid prima & secunda hora fieret, p̄ergit ad tertiam & ait:

Exceret raucois tertia cauſidicos (e).

De eadem parte diei ait Juvenalis:

— *Deinde forum jurisque peritus Apollo (f).*

De quo loco ubi Apollo jurisperitus dicitur variæ sunt interpretationes; *vetus Scholiaſtes* quatuor hujus sententiae rationes profert: aut quia *juxta Apollinis templum Jurisperiti* ſedebant & tractabant; aut, quia *Augustus in templo Apollinis Palatini bibliothecam* juris civilis dedicavit; aut, quia *Cicero domum Scævolæ oraculum* dixit; aut denique, quia tam dubia juris peritorum responsa ſunt, quam *Apollinis*.

Primam & ultimam rationem lepide conjungit & probat Josephus Aurelius de Januario (g), dicens; *Delos* *insula* *babet* *templum Apollini* *sacrum*, *hoc* *veneraturi* *adeunt* *JCti*, *forsan ex suo* *inſi-*

(e) Lib. IV. Ep. 8.

(f) Sat. I. vs. 128.

(g) In republ. JCtorum pag. mibi 93., videatur etiam ad hunc locum S. Lurſenius *de templo & Biblioth. Apollin. Palat.* cap. XXII. edit. Franeq. 1719., & S. T. Siccama *de judicio centumvirali* Lib. II. cap. 2. edit. Halæ 1716.

44 D I S P U T A T I O

instituto, nam ex veteri Juvenalis Scholiaſte dedicistiſtis, jam diu mo-
rem apud hos obtinuiſſe, ſedendi & traſtandi juxta Apollinis tem-
plum, cuius instituti hanc rationem profert, non ab re id factum,
unusquisque enim calleſt, quantum in augurio potens fit hoc numen,
ideo colunt Furisperiti, cum artis ſuę partem potiorem in conjecturiſ,
in quibus augurem ſe gerere oportet, collocent; quamobrem propitium
ſibi Apollinem obſequio comparant, ne in difficulti negotio inepte bario-
lentur, tum etiam ut agant grates illi ob navatam forte feliciter ope-
ram huic ſtudio.



P A R.



PARTIS ALTERIUS,

SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM

Ex Plauto & Terentio.

Præmissis hisce prologomenis ipsum opus aggredior, scilicet aliquot dictorum Poëtarum collectionem proferam (*a*).

§ I.

*Quid si adduco tuum cognatum buc a navi Naucraten,
Qui mecum vectus est una navi: atque is si denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum est fieri?
Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio.*

Plautus in *Amphitr.* A. II. S. II. vs. 219 — 222.

Hæc

(*a*) Idem propositum fuisse Cl. Hommelio, scilicet scribendi *Jurisprudentialiam poëticam*, cuius etiam specimen quoddam exhibet, postea cognovi videatur omnino ejus *Litteratura Juris* Lib. I. cap. 19. pag. 371. edir. prioris, Lib. II. cap. 3. §. 8. pag. 293. edit. posterioris.

Hæc sunt verba Amphitruonis ad Alcumenam uxorem suam; scilicet Amphitruo per tres menses bello occupatus Thebis abe-
rat, Jupiter interim forma Amphitruonis, quem Mercurius
Sosiae servi personam agens comitabatur, ad Alcumenam vene-
rat, & ab ea tanquam maritus læte acceptus, cum illa concu-
buerat, qui cum mane profectus erat, reddit ipse Amphitruo cum
Sosia servo suo, uxorem frigidam nullo gaudio læti adventus
mariti sui affectam, sed perhibentem, se maritum mox dimis-
se, inveniens stupuit, de uxorius insania aut furore nullo modo
dubitans persuadet ei, ut totam ipsius adventus, quem præfe-
rebat, historiam distincte narraret, quod cum fecisset, seque cum
illo concubuisse aperte demonstrasset, Amphitruo succensuit,
uxorem suam strupratam esse, sed ne iniuste agere videretur,
illis nihil mali perpetrasse, sed cum illo ipso marito suo rem
habuisse perhibenti, proponit arbitrum, nimirum se adducturum
Naucraten Alcumenæ cognatum, nullius fraudis consciūm, is si
facta, Amphitruonem scilicet præterita nocte apud uxorem fuis-
se, denegaret, Alcumena aperi adulterii convicta foret, nul-
laque superesset causa dicenda, quin Amphitruo Alcumenam
hoc matrimonio multaret.

Lipsius notat hic non tantum divortium, sed etiam retentio-
nem dotis intelligi, quod tamen non recte dictum putat Putman-
nus (*b*), qui hoc non nisi de divortio explicat, quasi Amphi-
truo dixisset, se diversurum sive divortium ab Alcumana factu-
rum,

(*b*) Lib. II. Probab. Jur. Civ. pag. 168 & 169.

rum, aut eam repudiaturum esse; idque eodem, modo, quo *patria multari*; in exilium mitti; *bonis multari*: bona adimi, quod duobus exemplis (*c*) hic non describendis demonstrat.

Optime itaque ingeniosus Gendenville hæc verba sic reddidit: *Allegerez vous encore quelques raisons, pour soutenir, que vous n'avez pas mérité la repudiation (d)*. Multis adhuc exemplis illustrati potest, quibus inter alia hæc quoque verba Arrii Menandri JCti: *Qui filium suum subtrahit militiæ belli tempore, exilio & bonorum parte multandus est (e)*, explicantur.

Sic apud Livium: agri parte mulctare (*f*), apud Suetonium: *parricidas bonis omnibus reliquos dimidia parte multavit (g)*; prædæ & agri tertia parte mulctare (*h*); grandi pecunia mulctare (*i*); & apud Nepotem sæpius,

Sed, ut ad poëtas revertar; eodem modo Virgilius:

Prospexit tristi multatam morte Camillam (k).

Et

(c) Priap. Carm. LV. & Cicer. Tuscul. Quæst. Lib. V. cap. 37.

(d) In Libel. *Les comedies de Plaute nouvellement traduites*, Tom. I. pag. 141.

(e) L. 4. §. II. ff. de re mil.

(f) Lib. I. cap. 15.

(g) In Julio Cæs. cap. XLII.

(h) In Cæs. cap. LXX.

(i) In Augusto cap. XII.

(k) Lib. XI. Æn. vs. 839.

Et Silius Italicus;

————— *Mulctata cadavera cede* (l).

Et alibi:

————— *Mulctantur cominus uno
Exitio* ————— (m).

Sic enim utroque loco legendum putat Doct. Drakenborgius.
Mulctari itaque est punire, pœnas luere.

§ II.

De. *Viginti jam usu s' filio argenti minas.*

Face, id ut paratum jam sit. Li. unde gentium?

De. *Me defraudato. Li. maximas nugas agis.*

Tene ego defraudem, quoi iphi nihil est in manu?

Nisi, quod tu porro uxorem defraudaveris.

De. *Qua me, qua uxorem, qua tu servom Sauream*

Potes, circumduce, aufer, promitto tibi

Non offuturum, si id bodie effeceris.

Tibi optionem sumito Leonidam

Fabricare quidvis, quidvis comminiscere,

Perficio, argentum bodie ut babeat filius,

Amicæ quod det. Li. Quid ais tu Demænete?

Quid si forte in insidias devenero?

Tu redimes me, si me hostes interceperint?

De. *Rediman.* —————

In *Asinar. A. I. S. I.* vs. 76, 77, 78, 81 - 85, 88 - 91.

Hoc

(l) Lib. X. vs. 463.

(m) Lib. XVII. vs. 500.

Hoc inter Demænetum senem & Libanum servum rarum quendam casum offert, quo quis non ignorans dolo futuro renunciat; ejusmodi tamen exemplum quoque invenitur apud Terentium, ubi Chremes senex Menedemo consilium dat, ne filio pecuniam det, si autem dare ei velit, potius:

*Per alium quemvis ut det, falli se finat,
Technis per servolum — — — (n).*

Quod consilium Menedemo placet, qui statim, ut se decipiunt, consentit, dicens:

*Id ut maturent facere, cupio illi dare,
Quod vult — — — (o).*

Neque tali renuntiationi jure Romano effectus denegatur; negat quidem Paulus *JCtus ulla pactione effici posse ne dolus præstetur (p)* & Ulpianus, *non probandum, putat, si convenerit, dolum non esse præstandum (q)*, Celsusque, ut idem testatur, censebat *illam conventionem non valere (r)*; sed hæc explicanda videntur de eo, qui dolum commissum vel committendum ignoravit, si vero quis scivit se deceptum esse, dolo renunciare potest,

(n) In Heautont. A. III. S. I. vs. 61 & 62.

(o) Ibid. vs. 86 & 87.

(p) L. 27. §. 3. ff. de pactis.

(q) L. 1. §. 7. ff. de reb. credit.

(r) L. 24. ff. de iug. Jur.

test, imo si quis scivit se deceptumiri, quemadmodum Demænetus apud Plautum, & Menedemus apud Terentium, renuntiatio ejus valere videtur; ajunt enim Diocletianus & Maximianus Impp., *nunquam volentibus dolum inferri* (s).

§ III.

Fam quidem bercle ad prætorem te rapiam. —

In Aulular. A. IV. S. X. vs. 30.

Hæc Euclio senex Lyconidi adolescenti dicit, idque iratus & perturbatus, ut adnotat Lambinus, non enim id facere ei licet, nisi antea illi antestatus esset, certe hoc verum, potuisse tamen id subintelligere.

Nimirum Lex. XII. tabl. permiserat unicuique privata auctoritate adversarium in jus vocare, sequi debebat adversarius duobus casibus exceptis, ut ait Gajus JCTus (t), *si alius eum defendere paratus esset, si illico eum auctore transfigeret*, præter hosce casus si non iret in jus, tum in jus vocans homines præsentes testes advocabat, eumque obtorto collo in jus rapere poterat, idque non tantum in vilioribus & vadimonii desertoribus locum habebat, sed in omnibus, quod variis, præter hunc Plauti, locis probari posset; poëtarum testimonia tantum proferam: Sic Phrædromus apud Comicum nostrum Theraphontigo ait: *ambula in jus*; ille vero: *non eo, tunc alter: licetne antestari cet.* (v);

eodem

(s) L. 34. C. de transact.

(t) L. 23. §. 1. ff. de in jusvocando.

(v) In Circulione A. V. S. II. vs. 23.

eodem modo alibi ipse Theraphontonus loquitur (ω); idem est colloquium apud eundem inter Saturionem Parasitum & Dor-dalum Lenonem (α); sed, quia Bachovius rejicit (y) argumenta ex comicis poëtis petita, neque ipse Huberus illa multum probat (z), quoniam eorum comœdiæ plurimum moribus Græcis sunt accommodatæ, videamus locum Horatii.

Apud Flaccum (a) scilicet homini cuidam cum ipso poëta ambulanti casu obvius venit adversarius, comes poëtæ magna voce exclamat: *quotu turpissime!* Horatiumque rogat: *licet ne antestari?* Horatius *opponit auriculam*, id est, se testem offert, reum in jus vocatum esse; adversarius rapit reum in jus; *clamor fit utrinque, undique concursus.*

Patet hic mores temporis simpliciter proponi sine ulla fictione. Sed nonne ipsa Gaji JCti verba, dicentis: *plerosque putasse nullum de domo in jus vocare licere, quia domus cuique tutissimum refugium & receptaculum sit, cumque, qui inde in jus vocaret, vim inferre videri* (b), satis demonstrant, cuique actori in jus vocanti reo invito vim inferre licere; Paulus quoque JCtus id aperte testatur, narrans; *aliquem, qui domi est, interdum in jus vocari posse, de domo tamen sua neminem extrahi debere* (c); ergo alio loco quisque, qui non sponte sequitur in jus trahi potest; sed

multa

(ω) Ibid. S. III. vs. 45.

(α) In Persa A. IV. S. IX. vs. 8. seq.

(y) Ad Tit. Inst. de Action. §. 12.

(z) Ad Tit. Inst. de poena tem. litigant. n. 5.

(a) Lib. I. Sat. IX. vs. 74—78.

(b) L. 18. ff. de in jus vocando.

(c) L. 21. cod.

multa Doct. Huberus hac de re contra Bachovium, aliter sentientem (d), scripsit (e); ideoque missam facio.

§ IV.

Pe. *Ducite istum: si non sequitur, rapite sublimem foras.*

Facite inter terram atque cœlum ut medius sit, discindite.

Py. *Obsecro hercle Periplectomene. Pe. ne quicquam hercle obsecras.*

Vide, ut istic tibi sit acutus, Caro, culter probe.

Ca. *Quin jam dudum gestio moecho hoc abdomen adimere.*

Py. *Perii. Ca. haud etiam numero hoc dicis. Jam ne in hominem involo.*

Pe. *Ino etiam prius verberetur fustibus. Ca. multum quidem.*

Pe. *Cur es ausus subagitare alienam uxorem, impudens?*

Py. *Ita me Dii ament, ultro ventum est ad me. Pe. mentitur; feri.*

In Milite Glorioso. A. V. vs. 1..5. & 7..9.

Periplectomenes senex Pyrgopolinicum militem adulterum a Carione coco fustibus verberandum curat, eumque castrari minatur; sic Phythias serva apud Terentium (f) narrat, juvenem quendam Thaidem vitiasse fratrem Thaidis factum ultum esse. atque de eo ait:

— Colligavit primum eum miseris modis,

— Nunc minatur porro sese id, quod moechis solet,

Quod ego nunquam vidi fieri neque velim — (g).

Idem

(d) Ad Tit. Inst. de Action. §. 12.

(e) Ad Tit. Inst. de poena tem. litigant. n. 5.

(f) In Eunucbo, A. V. S. V.

(g) In Eunucbo A. V. S. V. vs. 13. 15 & 16.

Idem etiam de moechis narrat Horatius:

— *Illis multo corrupta dolore voluptas,
Hic se præcipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos.
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeteret ferrum: jure omnes; Galba negabat (b).*

Nempe omnes jure factum esse putabant, Galba vero, quia ipse moechus erat, negabat.

Valerius Maximus refert, *quosdam eos, quos in adulterio deprehenderant. flagellis cecidisse, alios nervis contudisse, alios castrasse, alios familiæ stuprandos objecisse, idque illis fraudi non fuisse (i).* Gellius ex libro Varronis profert, *Sallustium ab Annio Milone in adulterio deprehensum loris bene cæsum, & quem dedisset pecuniam dimissum esse (k).*

Et hæc quidem jure siebant; licebat enim patri & marito filiæ aut uxoris adulterum facto deprehensum occidere, ait vero Papinianus: *qui occidere potest adulterum, multo magis contumeliam poterit jure adjicere (l); intellexisse itaque videtur per contumeliam ea, quibus moechos affectos esse locis laudatis vidimus;*

non

(b) Lib. I. Sat. II. vs. 39, 41 — 46.

(i) Lib. VI. cap. I. exempl. Rom. 13.

(k) Lib. XVII. cap. 18.

(l) L. 22. §. 3. ff. ad L. Jul. d. ad.

non autem putem Papinianum omnia illa, quæ habuimus ob oculos habuisse & probasse, scilicet unum ex Horatio (*m*) & ultimum ex Valerio Maximo (*n*), licet Doct. Colerus id etiam ad contumeliam, quam Papinianus moechis fieri permittit, referat (*o*).

§ V.

*Lucrum ingens facio, præterquam mibi meus pater
Dedit æstimatas merces, ita peculium
Conficio grande.*

In Mercatore in prologo vs. 94—96.

Patet hinc peculium profectitum jam tempore Reipublicæ Romanæ in usu fuisse, licet peculium adventitium potestea sic constitutum, eoque tempore, *quicquid libri acquirebant, id patri acquirebant, excepto peculio castrensi*, docente Justiniano Imp. (*p*), nec non dote adventitia, ut argumento verborum Ulpiani (*q*) patet.

§ VI.

*Si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune est viro.
Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa exigitur matrimonio.
Utinam Lex eſſet eadem, quæ Uxori eſt, viro!*

Ibidem A. IV. S. VI. vs. 3—7.

Ex

(*m*) L. L. vs. 44.

(*n*) L. L.

(*o*) Ad L. L. Valerii Maximi.

(*p*) §. I. Inst. per quas person. cuiq. acquir.

(*q*) L. 2. §. I. ff. soluto matrimonio.

Ex hoc loco satis apparet, divortium, quod primum Sp. Carvilius Ruga anno ab U. C. 519. itaque 42. annis ante ætatem Plauti ob uxoris sterilitatem fecit, testante Gellio (r), tempore Plauti, quamvis etiam sine ulla causa fieri posset, solis tamen maritis non uxoribus licuisse; tandem tamen etiam uxoribus fuit permisum sic Juvenalis de muliere imperatrice canit:

— Sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos & flammea conterit: inde
Advolat & spreti repetit vestigia leſti.
Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos, titulo res digna sepulchri (s).

Et Seneca narrat, *illustres quasdam & nobiles fæminas non consulum numero, sed maritorum annos suos computare, eas exire matrimonii causa nubere repudii* (t); Martialis vero matrimonia Thelesinæ per dies numerat, canens:

Aut minus, aut certe non plus, tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est,
Offendor moecha simpliciore minus (v).

§ VIR

(r) Lib. XVII. cap. 21.

(s) Sat. VI. vs. 224—225, 229 & 230.

(t) Lib. III. de Benefic. cap. 16.

(v) Lib. VI. Epig. 7.

§ VII.

— PI. Roga me viginti minas,
 Ut me effecturum tibi, quod promisi, scias:
 Rogo obsecro hercle gestio promittere.
 Ca. Dabis ne argenti mibi hodie viginti minas?
 Ps. Dabo — — — —

In Pseudolo A. I. S. I. vs. 112—116.

Pseudolus servus Callidoro vult promittere, se ei daturum viginti minas, prius autem rogarat Callidorum, ut a se stipuletur, tunc demum congrue respondens promittit.

Eodem modo agit Ballio Leno, ut promittat Sinoni seni viginti minas; dicens;

— Roga me viginti minas,
 Rogato hercle obsecro: gestio promittere;
 Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias,
 Si. Nullum periculum est, quod sciam, stipularier.
 Ut conceperisti verba: viginti minas
 Dabin. Ba. Dabuntur — — (w).

Sic etiam apud Juvenalem:

Quamvis stipulare & protinus accipe, quod do (x).

Nimirum Romani, quando sese alicui serio obstringere volebant; non simpliciter polliceri solebant, talis enim promissio non foret jure Romano valida, nuda enim pactio non parit actionem, excep-

(w) In Pseud. A. IV. S. VI, vs. 8, 11, 12, 14, 15 & 16.

(x) Sat. VII. vs. 165.

exceptionem quidem, testante Ulpiano (y); sic Romani, ut litibus causam plurimam tollerent, constituerunt, ut certae tantum essent causæ, quibus obligationes & actiones orirentur & tollerentur; stipulationes itaque, ut idem Ulpianus testatur (z), interponuntur pacis, ut quis iis interpositis cautor & securior sit, eamque ob causam quoque Ballio apud Plautum (a) eam interponi volebat, ut Sino rem sibi omnibus modis salvam esse sciret;

Atque ex his exemplis mos stipulandi cognosci & legibus lux afferri potest.

§ VIII.

*Dii immortales, aurichalco contra non carum fuit
Meum mendacium! hic modo quod subito commentus fuī.*

Ibid. A. II. S. III. vs. 22. &c. 23.

Plautus hic vocem *commisici* pro *excogitare*, *effingere* usurpat, sic quoque *dolum commisici* (b), apud Terentium *res commisici* (c), & Pomponius Mela narrat, *Phœnices literas & literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe configere, imperitare gentibus, regnum præliumque commentos esse* (d), Ulpianus quoque, ubi loquitur de eo, qui rogavit alios, ut aliquem detinerent vel abducerent, ne judicio sisstat, ait, *eum dolo malo id fecisse*

(y) L. 7. §. 3. ff. de pactis.

(z) L. 1. §. 4. ff. de stipul. præt.

(a) Loco proxime laudato.

(b) Ibid. A. IV. S. VII. vs. 64.

(c) Heautont. A. IV. S. VI. vs. 8.

(d) Lib. I. cap. 12.

fecisse putari, sive illi, quos ad id rogavit scientes sint sive ignorantes, quid esset, quod comminisceretur (e): licet alii ibi legant committeretur; eadem vox usurpatur a Valente, Gratiano & Valentiano Imperat. jubentibus: omnes, qui scripturas suspectas comminiscuntur, cum quid in judicio promiserint, nisi ipsi adstruxerint veritatem, ut nefariæ scripturae reos & quasi falsarios esse detinendos (f). Sed hunc locum Perezius (g) & alii ita explicant, quasi Impp. illos intellexissent, qui adversarii instrumenta falsitatis in judicio accusant.

Ex multis vero prolatis exemplis, quibus vox comminisci nihil aliud, quam confidere, effingere, cet. significat, patet aliorum interpretum sententiam, qui id de illis ipsis, qui falsa instrumenta conficiunt, explicant, prævalere.

§ IX.

Pro herili & nostro quæstu satis bene ornatæ sumus.

In Pænulo. A. I. S. II. vs. 73.

Ex hoc loco Doct. Putmannus (b) verba Pauli JCti: Nonnumquam pro frequentia admissorum judicantis sententia temperatur (i); explicavit, & contra Doct. van de Water demonstravit, nihil in lectione mutandum esse, particulam enim pro iōi eodem modo,

(e) L. I. §. I. &c. de eo per quem fact. erit.

(f) L. 24. C. de. probat.

(g) In prælect. ad C. ad h. tit. n. II. in fine.

(b) Lib. II. Probab. Jur. Civ. cap. XV. p. 117 & 118.

(i) Rec. sent. Lib. V. Tit. III. §. 5.

do, quo apud Plautum denotare proportionem, quod pluribus exemplis adstruit.

Vir tamen ille Cel. non tam certis argumentis sententiam suam probasse videtur, quin objici posset, ei adhuc necessario probandum esse, vocem frequentiam, quæ apud Paulum obvia, æque, ac: *herilis & noster quæstus* apud Plautum, *copiae* apud Livium (*k*), *modus lisis* apud Ulpianum (*l*), & *facultates & dispositio defuncti* apud eundem (*m*), esse vocem medium, nempe tam pro parvo, quam magno numero sumi, id enim in omnibus allegatis exemplis obtinet, in altero tamen loco Ulpiani (*n*), ab illo allegato, idem de voce: *facundia* quæri posset.

§ X.

Sa. *Vadatur hic me. Pæ. Utinam vades desint, in carcere ut sis.*

In *Persa* A. II. V. vs. 18.

Ex hoc loco ubi Pægnium puer optat, ne Sagaristioservus vades iuveniat, ut itaque in carcerem detrudatur, Doct. Rævardus primum observavit, reum in jus vocatum, si satisdare non poterat in carcerem dejici.

Plura hac de re Cl. Noodt (*o*) & Schultingius (*p*) scripserunt.

§ XI.

(*k*) Loco ab eo laudato Lib. XXXVI. cap. 10.

(*l*) L. ab eo L. I. §. 10. ff. de extr. cogn.

(*m*) L. ab eo L. 3. ff. de ann. legat.

(*n*) L. I. §. 12. ff. de extraord. cognit.

(*o*) Lib. II. Observ. pag. mihi 340 & 341. Tom. I. Oper.

(*p*) In enarrat. part. primæ ff. ad Tit. qui satisd. cogant. §. 4. pag. mihi 231 & 232.

§ XL.

— *Nam ego illam liberali affero causa manu
Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an causam meditari tuam?
Delibera hoc, dum ego redeo, Leno — — — — —
Terentius in Adelph. A. II. S. I. vs. 40—42.*

Æschinus permittit hic Sannioni deliberandi facultatem.

Non autem actor L. XII. tbi. coactus erat reo in jus vocato actionem edere, Lex enim reum statim sequi jubebat, & editio apud prætorem fieri poterat, quo modo etiam agebat Saturio apud Plautum (*q*); qui vero honeste rem gerebant, videntur indicasse reo, quid & quare peterent, ut illi hoc modo deliberandi copia daretur; sed jure novo illud mutatum, &, Ulpiano testante (*r*), quisque actionem, qua agere velit, edere debet, ut sic rens sciat utrum cedere an contendere malit, si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, cognita actione qua convenitur.

Plura hac de re videri possunt apud Schultingum (*s*).

§ XII.

— *Omnes socrus oderunt nurus.*

In Hecyra A. II. S. I. vs. 4.

Si hæc verba Lachetis senis, ad Sostratam uxorem, vera sint, non facile locus erit donationi, a socru nurui factæ, & sine ullo

(*q*) In Persa A. IV. S. IX. vs. 8 & 9.

(*r*) L. I. ff. de edendo.

(*s*) Ad Tit. ff. de edendo. §. I. pag. mibi 261 & 262.

ullo meto futuri detrimenti leges talem donationem permittere potuerunt, ait enim Ulpianus: *Socrui a nuru vel contra donari non est probibitum* (t); ne autem hanc veram hujus licentiae causam esse putas; addit enim idem Ictus: *quia hic jus potestatis non vertitur* (v); hanc enim causam esse, cur sacer genero donare non possit, antea dixerat (w).



C A P U T II.

Ex Lucretio & Tibullo.

§ I.

*Tangere enim & tangi nisi corpus nulla potest res.**Lucretius Lib. I. vs. 305.*

Lambinus adnotat ad hunc locum, unum ex principiis & sententiis ratis & fixis Epicuri esse hoc: *quicquid tangere & tangi potest id corpus est;* unde Lucretius alibi, ubi conjunctum id esse ait:

— — — — *Quod nunquam sine perniali
Discidio potis est sejungi, seque gregari (a).*

Exem.

(t) L. 2. §. 7. ff. de donat. int. vir. & uxor.

(v) Ibidem.

(w) L. 2. §. 6. eod.

(a) Lib. I. vs. 452 & 453.

Exempla conjunctorum proferens, inter alia hoc ponit:

Tactus corporibus cunctis, intactus inani (b).

Scilicet conjunctus est: Inde etiam intelligitur sententia Gaii
JCTi, qui res in corporales & incorporales dividens, *corporales
ear esse, ait, quæ tangi possunt, incorporales, quæ tangi non possunt* (c);
quem in sua definitione Tribonianus secutus est (d).

§ II.

Aut juvat egrediens genitales per Veneris res.

Lib. II. vs. 442.

Sic etiam alibi:

Quæ quoj juncta viro sit fœmina per Veneris res (e).

Scipio Gentilis JCTus putat, *Lucretium hisce in locis res Vene-
ris appellare eas partes corporis, quibus viri & fœminæ sunt* (f);
sed nullam hujus interpretationis rationem invenire possum, in
altero loco non est necessaria, in altero plane absurdâ; res vero
Veneris hic idem significant, quod apud Ulpianum, dicentem:
*Pomponius scribit in ipsis rebus Veneris deprehensum occidi, & hoc
est, quod Solo & Draco dicunt ἐν ἔγγῳ* (g): nimurum ipsum concubitu-
tum, atque hoc etiam ex pluribus locis a Scipione Gentili omis-
sis patet; sic Philosophus noster:

Ipsaque

(b) Ibid. vs. 455.

(c) L. I. §. 1. ff. de divis. rer.

(d) §. 1 & 2. Inst. de reb. corp. & incorp.

(e) Lib. IV. vs. 1258.

(f) Lib. II. Parerg. cap. 23.

(g) L. 23. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.

*Ipsaque dedit duæ vitæ blanda voluptas,
Ut res per Veneris blandissim secla propagent (b).*

Et alibi :

*Scilicet ut nequeant homines armenta feræque
Inter se nullam rem gignere conveniendo,
Per Veneris res, extra homines, armenta ferasque (i)*

Denique ait : *portenta non posse :*

— *Reperire cibum, nec jungi per Veneris res (k).*

Ovidius iisdem verbis sic utitur :

*Ille quod, a Veneris rebus surgente puer,
Vidit in immundo signa pudenda toro (l).*

Merito autem JCtus notat, idem a Nasone (m) amoris opus dici; addi potest, Sulpiciam pro rebus Veneris dixisse cupidæ Veneris gaudia: hoc modo :

Nec Veneris cupidæ gaudia turbet aper (n).

Quid vero per gaudia Veneris intelligat, ex præcedentibus patet: dixerat enim :

Sic

(b) Lib. II. vs. 177.

(i) Ibid. vs. 920 — 922;

(k) Lib. V. vs. 848.

(l) In R. med. Amor. vs. 431 & 432.

(m) Epist. Heroid. XV. vs. 46.

(n) In Tibulli Eleg. Lib. IV. Carm. III. vs. 13.

*Sic lux mea tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas (o)*

Eodem modo Ausonius rogat:

Imperium, litem, Venerem, cur una notet res (p),

§ III.

*Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, adversisque in rebus noscere, quid sit.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, & eripitur persona manet res.*

Lib. Ill. vs. 55—58.

Hæc quidem plerumque vera sunt, præcipue in mortis periculo, non vero semper id obtinet; Tacitus enim de Tiberio Imp. narrat: *Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat, cet.* (q) fides tamen vocibus ab hominibus, quum in angustiis erant, emissis magna haberri solet, non autem semper, *fragilitas enim humana mortis cogitatione perturbata minus memoria res plures consequi potest ut recte observat Justinus Imp.* (r); *aut præ tumultu mortis angustiatus multarum rerum non memoratnr,* uti ait Justinianus Imp. (s), ideoque Ulpianus docet; *domino nun esse*

(o) Ibid. vs. 15& 16.

(p) In Teognopœgn. Edyll. XII. ibique in Grammatica Icomast. pag. 496. edit. Tollii Amst. 1671.

(q) Lib. VI. Annal. cap. 50.

(r) L. S. C. qui testam. facere poss.

(s) Nov. XVIII. cap. 6.

*esse credendum, si moriens dixit, a servo vim mortis allatam esse sibi,
nisi & potuerit probari (t).*

§ IV.

*Nam certe ex vivo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animalis.*

Lib. IV. vs. 743. & 744.

Lucretius ubi de rerum simulacris agit, ait hic inter alia, im-
ginem Centauri, sic oriri, ubi equi & hominis imago casu con-
venit, facile ex templo hærescit propter subtilem naturam & te-
nuia texta, nunquam enim Centaurum in rerum natura fuisse;
sic etiam alibi:

*Sed neque Centauri fuerint, neque tempore in ullo
Esse queat dupli natura & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas (v).*

Eodem modo Tribonianus Hippocentaurum (eundem ac Cen-
taurum) esse non posse affirmat (w), eumque qui Hippocentaurum
stipulatus est, rem, quæ in rerum natura non est, aut esse potest,
stipulatum fuisse & itaque stipulationem esse in utilem.

Tribonianus vero culpari posset, quod hæc, quasi sine ullo
dubio vera, proponat, cum tamen Plinius, se Centaurum in melle
ex Ægypto allatum vidisse, narrat (x); sed, præterquam; quod
vidi-

(t) L. 3. §. 1. ff. de SCto Silaniano.

(v) Lib. V. vs. 878 — 880.

(w) §. 1. Inst. de inutil. stipul.

(x) Lib. VII. cap. 3.

vidimus Lucretium in eadem opinione, ac Tribonianus, versari, Palæphatus quoque Centauros fuisse negat & argumentis sententiam suam adstruit, cuius verba Græca sic vertit Tollius:
Si quis itaque persuasum habeat, ejusmodi bestiam fuisse, impossibilis credit: neque enim natura equi hominisque inter se convenit;
neque alimentum simile; neque per os & guttur humanum, equi nutrimentum potest descendere: si autem forma talis tum exstitisset,
etiam num supereffet (y), huc usque Palæphatus, Tollio interprete; descripserat autem supra Centaurum, tanquam feram ad equorum modum totam formam habentem excepto capite: Seneca refert etiam, Centauros ad ea, quæ in rerum natura, non sunt. sed quæ, falsa cogitatione formata, babere aliquam imaginem cœperunt,
quamvis non habeant substantiam (z).

Satis undique sententiam JCTi contra testimonium Plinii, qui in mendacia pronus est, defensam vidimus.

§ V.

Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura.

Tibullus Lib. I. El. IX. vs. 51.

Dubitaverat Ampliss. Vonckius (a), an non verba rescripti Diocletiani & Maximiniani Imp., quæ sic leguntur: *Quæstru-
pro tibi cognita est, & venalem formam exhibuit, adulterii crimen
in*

(y) *De Incredilibus* cap. II. pag. mihi 5—II.

(z) *Epist. LVIII.* in med.

(a) *Obl. Misc. c. 32.* p. 126.

*in ea cessat (b), ita essent mutanda: & venalem famam exhibuit:
recepta tamen lectio firmari ipsi videbatur ex hoc loco Ovidii:
Et faciem lucro prostituisse suam (c).*

Sed quid si versus Tibulli allegatus illi ob oculos venisset? cer-
te nulla de usu hujus dictionis dubitatio superesse potuisset; quid
enim magis convenit, quam *venalem exhibere formam, & ven-*
dere formam.

§ VI.

*Quisque adeat, faveat fruges lustramus & agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Luce sacra requiescat bumbus, requiescat arator;
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincia jugis; nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.*

Lib. II. El. I. vs. 1, 2, 5-10.

Describit hic Tibullus ferias Divinas, quibus omnes judices ur-
banæque plebes & cunctarum artium officia quiescunt (d) nullis volup-
tatis occupantur, neque ullis exactiōnum vexationibus profanantur (e),
hæc quidem poëta de feriis Ethnici scānit, sed Imperatores idem
de feriis Christianis, præsertim de venerabili die solis, quem
Dominicum vocant, statuerunt.

(b) L. 22. Cod. ad L. Jul. de adult.

(c) Lib. I. Amor. El. X. vs. 42.

(d) L. 3. Cod. de feriis.

(e) L. 11. Cod. eod.



C A P U T III.

Ex Virgilio.

§ I.

— Undique totis —

Usque adeo turbatur agris —

Bucol. Ecl. I. vs. 11. & 12.

Melibœus deplorat publicationem agrorum, de qua etiam Propertius:

Abstulit excultas pertica tristis opes (a).

Valerius Cato ejusmodi quoque publicationem diris devovit (b), quas diras olim falso Virgilio adjudicarunt, in quibus eodem fere modo, ac Propertius, canit:

Pertica, quæ nostros metata est impia agellos (c).

Merito autem *tristis & impia* dicitur; rusticus enim innocens impie destituitur agris, non sine magno labore excultis, quæ ei, quippe qui nihil amplius possidet, sunt, ut regna regi, unde ait Melibœus:

Post

(a) Lib. IV. El. I. in fine.

(b) Quæ inveniri possunt in Appendice Virgilii a Jos. Scaligero edita pag. 62—68. Et ejusdem Viri in easdem notæ pag. 433—446., & in Anthol. Lat. L. VI. Tom. II. p. 647. sqq.

(c) Vs. 45.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas (d).

Eamque ob causam JCti putarunt, venditorem, cuius ager venditus, nondum traditus, publicatur, qui secundum regulam generalem teneretur venditori præstare id, quod interest, quippe re empta evicta (e), emptori satisfecisse, si pretium pro re empta traditum reddat, neque teneri ad interesse, quia procul ulla culpa agrum suum amittit, nam iniquum foret tales rusticum tam misere, ut ex locis laudatis vidimus, belli incommoda feren-tem, ad hoc ad interesse teneri & hæc sane sententia Africani videtur (f).

§ II.

Nonne ego te vidi Damonis pessime caprum

Excipere insidiis, multum latrante Lycifa?

Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?

Tityre, coge pecus, tu post carecta latebas.

Ecl. III. vs. 17 — 20.

Menalcas optime hic descripsit furtum manifestum, *vidi te furtum committentem & clamavi*: hæc enim ad furtum manifestum requirunt Ulpianus JCtus (g) & Justinianus Imp. (h), quod merito quoque Servius observavit: Gellius idem modo ex Massurio descripsit (i): *furtum manifestum est, quod deprehendi-*

tur

(d) Virgil. Ecl. I. vs. 70.

(e) L. 60. ff. de evictionib.

(f) L. 33. ff. locati condusti.

(g) L. 3. L. 7. §. 2. ff. de furtis.

(h) §. 3. Inst. de oblig. quæ ex delicto.

(i) Lib. XI. cap. 18.

tur, dum sit, vel potius, cum fur in ipso furto, vel cum rem furtivam tenet per dominum aut per alium in publico vel privato acclamando vel accurrendo, priusquam eo, quo rem furtivam ille die deferre & deponere sibi proposuerat, pervenerit, reprehenditur. Fallebatur autem Menalcas putans Damætam hic revera furtum commisisse, ut alio loco videbimus.

§ III.

Matri longa decem tulerint fastidia menses.

Ecl. IV. vs. 61.

Tempus partus humani hic definitut per decem menses; sic etiam Plautus:

— *Illa, quam comprefferat,
Decimo post mense exacto, peperit filium (k).*

Gelasimus Parasitus in lepidissima illa oratione apud eundem:

— *Eam mibi mater nunquam rettulit gratiam,
Nam me illa in alvo menses gestavit decem (l).*

Sosia servus apud eundem:

— *Ad aquam præbendam commo'e veni domum,
Decimo post mense ut rationem te dictare intellego (m).*

Et Cæcilius apud Gellium:

— *In soletne mulier decimo post mense parere
Pol nono, etiam septimo & octavo (n).*

Ita

(k) In Cistell. A. I. S. III. vs. 14 & 15.

(l) In Sticho. A. I. S. I. vs. 4 & 5.

(m) In Amphitr. A. II. S. II. vs. 37 & 38.

(n) Lib. III. cap. 16.

PHILOLOGICO - JURIDICA.

Ita quoque Propertius:

*Non, Non humani partus sunt talia dona;
Ista decem menses non peperere bona (o).*

Et Ovidius:

*Tempora dirigeret cum conditor urbis, in anno,
Constituit menses quinque bis esse suo
Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis (p).*

Atque in eadem sententia fuerunt JCti, qui tempus partus ad minimum septem mensium, uti etiam Macrobius (q), statuant (r), idque intra decem menses coarctant (s); male itaque Ausonius cecinit:

*Juris idem tribus est, quod ter tribus omnis in istis
Forma hominis incipit plenique exactio partus (t).*

Optime autem Plinius dixisse videtur: *Cæteris animantibus statum & pariendi & partus gerendi tempus est, homototo & incerte gignitur spatio (u).*

§. IV.

(o) Lib. II. El II vs. 37. & 38.

(p) Lib. I. Fast. vs. 27, 28, 33. & 34.

(q) Lib. I. Somn. Scipion. cap. 6. in med.

(r) L. 12. ff. de statu homin.

(s) L. 3 § 11. ff. de Suis & legitim. hered. & Nov. XXXVIII. cap. 21.

(t) Edyll. XI. vs. 4 & 5., de quo loco etiam alibi agemus.

(u) Lib. VII. cap. 5.

§ IV.

Alter ab undecimo tunc me jam ceperat annus.

Ecl. VIII. vs. 39.

Verba alter ab undecimo Servius explicat tertius decimus, ut unus ab undecimo sit duodecimus, alter, tertius decimus; hæc enim in editione Burmanniana addita leguntur (w).

Ita quoque Donatus ad illa verba Terentii: *amans accessit unus & alter* (x), observat alter pro duobus dici; quem sequitur Gothofredus (y), sententias Virorum doctorum invenias apud Taubmannum ad hunc locum Virgili (z), apud Cortium ad Ciceronem (a), apud Drakenborgum ad Livium (b), apud Verheykium ad Eutropium (c), apud Barthium, ad illum versus Paulini:

*Altera ab undecima annorum currente meorum
Ebdomade ————— (d).*

Apud Briffoninm (e) & Gesnerum in Lexic's (f).

Merito

(w) Tom. I. pag. 130.

(x) In Andr. A. I. S. I. vs. 50.

(y) In animadvers. Jur. Civil. Cap. XVI., Tom. III. Thesauri Jur. Rom. Ottonis. pag. 317.

(z) In edit. oper. Virgil. An. 1618. pag. 81 & 82.

(a) Ad Lib. XII. Epist. ad Diversos Epist. 25.

(b) Ad Epitom. Lib. XLIX. Tom. V. pag. 949.

(c) Lib. I. cap. 18.

(d) Ad Eucharistici vs. 12. pag. 261, edit. Lips. 1681.

(e) Ad vocem *Alter.*

(f) Ad vocem *Alter.*

Merito tamen vir Doct. Perizonius , antiquiores interpretes secutus , Servii & Donati explicationem rejicere videtur (g) , apud Virgilium annum duodecimum intelligi , apud Terentium vero unus & alter pro numero incerto dictum esse perhibens , Servio & Donato objicit versum Virgilii , ubi Menalca Mopso dicit :

————— *Tu nunc eris alter ab illo (b).*

Scilicet a Daphnide , secundum illorum explicationem id significaret : *tertius ab illo* ; sed quis tum secundus ?

Eodem modo nonnulli Interpretes voluerunt , in hisce verbis Juliani JCti: *ita ut alter semis inter eum , qui dominus instituti heredis fuerit & substitutum æquis portionibus dividatur (i)* ; *alter semis* , *duo semisses* significare , inter quos Janus a Costa (k) ; sed etiam hosce viros errasse crediderim ; quid enim , si eorum sententia valeret , opus foret addi *æquis partibus* ; imo quomodo duo semisses in duas partes dividi possunt , cum as jam divisus sit ; sententia itaque Cujacii , summi illius JCti , præstare videtur , qui pro *alter semis* , *as* legi maluit .

§ V.

*Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & jura sinunt.* —————

Georgic. Lib. I. vs. 268. & 269.

Nimi.

(g) In Animadversion. historic. cap. VII. pag. mihi 282 & 283.

(b) Ecl. V. vs. 49.

(i) L. 40. ff. de hered. instit.

(k) Ad Tit. Inst. de vulg. substit. §. 4. pag. 267. , edit. ab J. van de Water curatæ L. B. 1719.

Nimirum jura divina, quæ *fas*, jura humana, quæ simpliciter *jura* vocat, sinunt, ea, quæ necessaria sunt, etiam diebus festis fieri, præcipue, quæ versibus sequentibus de agricultura recentet, quæque Cato etiam per ferias licere ait (*l*), & Columella, hoc loco Virgilii allegato (*m*), nec non Macrobius duobus locis (*n*), ubi eosdem versus Virgilii laudat & eleganter explicat, profertque aptissimum dictum Scævole, scilicet, illum rogatum, *quid feriis agi liceret?* respondisse: *quod prætermissum noceret.* Plinius ait: *malum patrem familias esse, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi intempestate cœli; pejorem, qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet* (*o*).

Neque solis Ethnicis licuit, necessariis ad hominum salutem operibus diebis festis vacare; sed etiam ipsis Judæis permisum fuit, ut ex verbis Jesu Christi generis humani Servatoris Optimi Maximi (*p*), patet; etsi ne agriculturam quidem, licet anni tempora ipsi colendæ essent apta, peragere die Sabathij licebat (*q*), quam tamen legem non adeo duram fuisse, pro regionis statu demonstrat doctissimus J. D. Michaëlis (*r*); hæ autem leges de Sabatho die

(*l*) de Re Rustica cap. II. n. 4.

(*m*) Lib. II. de Re Rustica cap. 22.

(*n*) Lib. I. Saturnal. cap. 16. & Lib. III. cap. 3.

(*o*) Lib. XVIII. cap. 8. §. 1. in mea edit., quæ est cum notis J. Har. duini Parisiis 1741. in fol. in aliis cap. 6.

(*p*) In Euang. Divi Matthæi cap. XII. §. 11.

(*q*) Lib. II. Mosis cap. XXXIV. §. 21.

(*r*) *Mosaïsch Recht, of de ziel der wetten van Mozes uit het Hoogduitsch vertaald*, Tom IV. pag. 131. seq., edit. Harlem. 1775.

die colendo, populo temporibus & regioni, quibus latæ sunt, accommodatæ, num ad nos Christianos pertineant, vehementer dubito. Constantinus Imp. legem ferens, qua primum observatio diei Dominici publice sancta esse videtur, statuit, ut omnes judices, urbanæque plebes & cunctarum artium officia venerabili die solis quiescerent, simulque jussit, ut ruri positi agrorum culturæ libere licenterque tamen inservirent, quoniam frequenter eveniat, ut non aptius alio die frumenta fulcis, aut vineæ scrotibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas Cœlesti provisio concessa (s); sunt hæc verba Imperatoris.

§ VI.

*Media fert tristes succos tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum
Pocula si quando sœvæ infecere novercæ,
Miscueruntque herbas & non innoxia verba;
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.*

Lib. II. vs. 126—130.

Poëta hic narrat in Media felicia mala nasci, quibus nullum præsentius auxilium venit, si quando sœvæ novercæ pocula infecerunt, herbasque & non innoxia (id est valde noxia) verba miscuerunt; illud ad beneficium, hoc ad magiam referendum.

Est autem Magia, definiente Leysero (t), *crimen, quo quis facto*

(s) L. 3. C. de feriis, quæ lata est, si bene computaverim die 7. Martii anno post. Chr. N. 331.

(t) Tom. IX. meditat. ad ff. pag. 630.

facto diciove aliquid contra naturae ordinem sine divina auctoritate operatur & efficit; magia itaque fit vel factio vel dictio.

Ad magiam, quæ facto perpetratur, referri possunt verba poëtæ: *miserunt berbas*; sic etiam Amphitruo apud Plautum queritur, *Thessalum veneficum perverse perturbasse mentem familiæ suæ* (v); Alpheusibæus apud Virgilium narrat; *Mærin venenis, quæ plurima nascuntur Ponto, saepe lupum fieri & se condere silvis, saepe animas imis sepulchræ exire, atque satas messes alio traducere* (w); in Æneide narrat Poëta, *Circen Picum virga percussum, versumque venenis avem fecisse* (x); Horatius loquitur de Thessalicis venenis, *quibus sagæ & magi aliquem triformi Chimeræ illigatum solubebant* (y); ad illa venena magica philtra sive pocula amatoria etiam referri possunt, quæ tamen plane rejicit Ovidius canens:

*Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis vimque furoris habent* (z).

Ad quæ Propertius etiam his verbis respicere videtur:

Non me moribus illa; sed herbis improba vicit (a).

Ubi plura de arte magica.

De iisdem philtris Paulus Jctus loquitur, dicens: *illos qui poculum amatorium alicui dant, & si sine dolo faciant, tamen, quia mali*,

(v) *Amphitr. A. IV. S. III. vs. 9 & 10.*

(w) *Ecl. VIII. vs. 95—99.*

(x) *Lib. VII. vs. 189—191.*

(y) *Lib. I. Oda XXVII. vs. 21—24.*

(z) *Lib. II. Art. Am. vs. 105 & 106.*

(a) *Lib. III. El. IV. vs. 25.*

mali exempli res est, humiliores in metallum honestiores in insulam amissa parte honorum relegari, si autem homo cui, datum sit, perierit, summo suppicio affici (b). Valerius Flaccus quoque in Argonauticis venenorum magicorum mentionem facit (c).

Ad magiam, quæ sit dicto, spectant verba Virgilii: *miscuerunt non innoxia verba; scilicet intelligit carmina & murmura magica, de quibus alibi sic canit:*

*Carmina vel caelo possunt deducere lunam,
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis (d).*

Cum quibus fere convenient versus Tibulli:

*Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus & iratæ detinet anguis iter,
Cantus & e curru lunam deducere tentat
Et faciat, si non æra repulsa sonent (e).*

Quos versus Sannazarius pulcherrime sic imitatur:

*Carmen in accessu traducit ab ilice glandeis,
Carmen nocturnæ supprimit ora canis
Carmen & informi pallentem sanguine solem
Inficit & lunæ sifit euntis equos (f).*

Uter.

(b) L. 38. ff. de pœnis.

(c) Lib. VII. vs. 327—330.

(d) Ecl. VIII. vs. 69—71.

(e) Lib. I. El. VIII. vs. 19—22.

(f) Lib. I. El. I. vs. 67—70.

Uterque Poëta Virgilius & Tibullus de incantatione anguum loquuntur, de qua etiam eleganter Amintas apud Torquatum Tassum egregium illum poëtam Italum de amica sua canens:

————— *Hæc meos sermunculos
Blan^{lissimos}, suavissimosque deserit,
Ut aspides solent fugere veneficos.*

Ita enim vertit Andreas Hillebrandus (g), proprie autem legitur: *fugit mea dicta, ut aspis incantationem* (h); aspidum autem incantationem esse antiquissimam patet ex verbis Salomonis hominum sapientissimi dicentis: *si serpens, nondum adhibita incantatione, momorderit, nihil tum vel eloquentissima incantatio prodest* (i); atque de ea etiam memorat David rex ille & poëta egrius (k).

Propertius de incantationibus sic canit:

O utinam magicæ noſſem cantamina muſæ (l).
Et alibi: *Audax cantatæ leges imponere lunæ* (m).

Creon

(g) In versione Comœdia pastoralis, cuius editio secunda & correctior prodiit, Francofurti ad Mœnum Typis Wechelianis An. 1624. in 8. ibique pag. 27. in fine.

(h) In *Aminta* A. I. S. II. vs. 212 & 213. pag. mihi 42. in fine, in editione, quæ cum Franco-Gallica Versione prodiit Hagæ comit. an. 1621. in 8.

(i) Ecclesiast. cap. X. §. 11.

(k) Psalmo LVIII. §. 5 & 6.

(l) Lib. IV. El. IV. vs. 49.

(m) Ibid. El. V. vs. 13.

Creon apud Senecam jussus loqui Oedipo narrat de necromantia, canens:

*Carmenque magicum volvit, rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leves
Aut cogit umbras — — — — (n).*

De manibus carmine magico excitis Silius Italicus (o) & Valerius Flaccus (p) quoque referunt; Serenus Sammonicus mirum quid profert, canens:

*Inscribis chartæ, quod dicitur Abracadabra,
Sæpius & subter repetis, sed detrahe summae,
Ut magis atque magis desint elementa figuris
Singula, quæ semper rapies & cætera figes
Donec in angustum redigatur littera conum:
His lino nensis collum redimire memento.
Talia languenti conducunt vincula collo,
Letbales abigent (miranda potentia) morbos (q).*

Magiam autem factò & verbis perpetratam jungit Dido apud Virgilium (r), ex quo loco etiam patet, magos solere eorum, qui incantantur, simulacrum cera vel alia materia effingere, unde etiam apud eundum Alphesibœus canit:

Terræ

(n) In OEdipo A. III. vs. 561—563.

(o) Lib. I. vs. 97. & seq.

(p) Lib. VII. vs. 389. seq.

(q) Pag. mihi 483. edit. R. Constantini Lugduni 1566. in 8.

(r) Lib. IV. Æneid. vs. 480. seq.

DISPUTATIO

Terque hæc altaria circum
Effigiem duco — — — (s).

Ovidius timet, ne membra sua langueant Theſſalico devota ve-
neno, ne miſero carmen & herba noceant, ne saga Phoenicia nomina
cera defixerit, & in medium jecur tenues acus egerit, varia enim
carmine effici, unde etiam addit:

Quid vetat & nervos magicas torpere per artes (t).

Alibi vero canit:

Non facient, ut vivat, amer, Meneides herbæ;
Mixtaque cum magicis nænia Marſa ſonis:
Phasidas Aſonidum, Circe tenuiſſet Ulixen:
Si modo ſervari carmine poſſet amor (v).

Tibullus rogaſt amicam:

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus (w).

Paulo poſt tamen addit:

Quid queror hēu miſero carmen nocuiſſe, quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis (x).

Quos verſus Sannazarius eleganter ſic imitatus eſt:

Num

(s) Ecl. VIII. vs. 74 & 75.

(t) Lib. III. Am. El. VII. vs. 27—35.

(v) Lib. II. Art. Am. vs. 101—104.

(w) Lib. I. El. VIII. vs. 17 & 18.

(x) Ibid. vs. 23, & 24.

Num me negle^{cis}is devovit saga sepulchris?

Num rumpit somnos carmen & berba meos (y)?

Et porro:

Quid queror infelix? utinam mibi sola nocerent

Carmina, nec nostro pectori inesset amor (z).

Lucanus quoque de hac arte magica multa cecinit (a). His addi posset magiam etiam visu fieri, ut narrat Doct. Rhodiginus ad proverbium: *Mantis te vidit (b)*.

Ex pluribus hisce allegatis locis sententia veterum de artibus magicis colligi potest, indeque mihi haud parum lucis afferri videtur illis locis ex *Jure Romano*, ubi hæ artes prohibentur: qua de re plura memorant Brokhusius ad *Tibulum* (c) Idsinga (d), Putmannus (e) & P. Tollozan (f). Scilicet in Justiniani Imp. institutionibus legimus, *eos qui artibus odiosis tam venenis, quam susurris magicis homines occiderunt lege Corneliam damnari* (g), ubi eodem

(y) Lib. I. El. I. vs. 65 & 66.

(z) Ibid. vs. 71 & 72.

(a) Lib. VI. vs. 438. & plurib. seqq.

(b) Lib. XXX. Antiquar. Lection. cap. 22.

(c) Ad Lib. I. El. II. vs. 41. seqq.

(d) Variorum Jur. Civ. Cap. XVI. pag. 134—142. edit. Harling. 1738.

(e) In Melema. Jur. Civil. Lips. 1771. pag. 6. seqq.

(f) In dissertat. Academica de *Maleficis & Mathematicis & cæteris similibus*. ed. L. B. an. 1736., eaque invenitur in *Thesauro Dissertation. Juridicar. selectissimar. ab G. Oelrich Lipsiæ 1769. edito Vol. I. Tom. II.* pag. 213—276.

(g) §. 5. Inst. de publ. Jud.

eodem modo ac apud poëtas artes magicæ, quæ factis & verbis fiunt, junguntur; Constantius Imp. ait, *multos magicis artibus usos, elementa turbare, vitam insontium labefactare, & manibus accitis audere ventilare*, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos, hos, quoniam naturæ peregrini sunt diris devovet, eosque feralispestis absumat, optat (*b*), Constantinus Imp. eorundem, nec non illorum, qui pudicos animos ad libidinem deflexisse, nimirum philtoris sive poculis amatoriis datis, detegentur, scientiam puniendam & severissimis merito legibus puniendam esse, censuit (*i*): addit autem Constantinus, nullis criminacionibus implicanda esse remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia; nimirum magos, qui artem ad utilitatem generis humani exercent non esse puniendos; sic enim merito Leiferus hanc legem intelligendam esse contra captiunculas aliorum affirmasse & probasse videtur (*k*). Quam tamen legem Leo Imp. jure mutavit, & etiam severè puniendos esse statuit (*l*).

Quæri posset an ejusmodi magiæ fides sit habenda, an unquam ejusmodi ars magica veros effectus habuerit.

Ex antiquis Philosophis Seneca, *causas incantationum inquire*, ridet, *multoque citius dictum* (*ait*) *mendacium & fabula est, rudis adhuc antiquitas credebat, & attrabi imbræ cantibus & repellî, quorum nihil posse fieri, tam palam esse, putat, ut hujus causa nullius*.

philo-

(*b*) L. 6. Cod. de Malefic.

(*i*) L. 4. eod.

(*k*) In Meditat. ad ff. Tom. IX, pag. 642.

(*l*) Novella Leonis. LXV.

philosophi schola intranda sit (m), quo cum consentit Plinius (n); Serenus Sammonicus, cuius nugas antea vidimus, alibi canit:

*Nam, febrem vario depelli carmine posse,
Vana supersticio credit, tremulæque parentes (o).*

Ex recentioribus scriptoribus nonnulli huic arti fidem habuerunt; Rhodiginus doctissimus ille Italus, de quo modo memoravimus, cuius viri labores auro contra caros, suo tempore non magis in manibus juventutis esse, egregius Vossius mirabatur; imo indignabatur (p), ille, inquam, Rhodiginus ait: *Quæstio diu agitata veteribus est, insitne vis aliqua verbis, certa quadam enunciata formula: quidem Christianæ veritatis cultor, qui possit inficiari?* Quando Princeps ille rerum ac summi Patris Filius ex vero Deus verus præfatione sacerdotis brevissima se vocetur eliciaturve a cœlesti sede (q), haec tenus ille; hanc vero summi viri sententiam ex errore Ecclesiæ, ut dicunt, Romano-Catholicæ oriri satis undique pater.

Doctissimus Leiferus magno cum impetu affirmat, *se credere, magiam dari, magos esse, baruspices esse, sagas esse, pacta cum diabolo intercedere, artes, quibus modo incomprehensibili contra naturæ ordinem & leges hominibus, bestiis & frugibus nocet, ut cau-*

sa

(m) Lib. IV. quæst. natur. cap. 7.

(n) Lib. XXVIII. cap. 2.

(o) Pag. mihi 483.

(p) Lib. III. de Histor. Latinis cap. 10.

(q) Lib. XVI. cap. 14.

*sa nulla appareat exerceri, & spectra apparere (r). Optime mihi
arribent, & temporibus nostris aptissima videntur sequentia ver-
ba Leiseri, scilicet multos hæc bodie non credere, plerosque, qui-
bus incredulitas hæc pulchra & decora videtur, se non credere, di-
cere. Exempla autem magorum & ejusmodi hominum pœnis
afflictorum, idque særissime innocenter, inveniri possunt apud
Robertum (s), in codice Fabriano(t) & multis aliis locis quam
plurima.*

§ VII.

*Hæc omnis quam cernis inops inhumataque turba est,
Portitor ille Charon, hi, quos vebit unda, sepulti,
Nec ripas datur borrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitantque hæc littora circum;
Tum demum admissi, stagna exoptata revisunt.*

Aeneid. Lib. VI. vs. 325—330.

Syilla Cumana hæc ad Aeneam in inferis dicit, patet autem
inde, quanta supersticio veterum de sepulturis fuerit, quæ etiam
cognoscitur ex verbis ejusdem longævæ sacerdotis, quibus Pali-
nurum alloquitur:

Unde

(r) In Meditat. ad ff. Tom. IX. pag. 631.

(s) Lib. I. rerum Judicat. cap. 5.

(t) Lib. IX. Tit. XII. defin. 1, 2 & 3.

*Unde hæc, O Palinure tibi tam dira cupido?
 Tu flygias inhumatus aquas, amnemque severum
 Eumenidum adspicies? ripamve injussus abibis.
 Define fata Deum flecti sperare precando.
 Sed statuent tumulum & tumulo solemnia mittent
 Æternumque nomen locus Palinuri habebit (v).*

In hac superstitione ratio tot legum, quæ funeribus favent, quærenda videtur, sic prætor vel magistratus municipalis dicuntur, quocunque modo curaturi esse, ut defuncti cadaver sepeliatur; imo, licet regulæ juris id non permittant; hoc casu omittuntur, ut ex verbis Ulpiani patet (w), sic etiam mandatum defuncti, ut sibi monumentum fiat, observatur, licet mandatum alioquin morte mandantis cessare soleat (x) summa enim ratio est, ut Papinianus ait (y), quæ pro religione facit.

§ VIII.

Pars mibi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Lib. VII. vs. 266.

Latinus Ilioneo respondet, invitatque Æneam, ut ad se veniat, & dicit, partem pacis sibi fore dextram Æneæ tetigisse, hoc explicat Vigerus (z): loco pacis erit; Servius autem pacem

per

(v) Lib. VI. Æneid. 373—376, 380 & 381.

(w) L. 14. §. 1. ff. de Religios.

(x) L. 12. §. 17 ff. mand. vel conrra.

(y) L. 43. in fine ff. de Religios.

(z) De præcipuis Græcæ diction. idiotismis cap. III. Sect. VII. num. 3.

per fædus exponit, dicto quippe consequente pro antecedente, idem itaque est, ac si diceret pars mihi fœderis erit, tunc autem non opus est explicare: loco mihi fœderis erit, nam dextram Æneæ tetigisse proprie foret pars fœderis, cum Ænea ineundi, solebant enim homines inter se contrahentes dextram sibi invicem tanquam signum fidei dare, ut alio loco videbimus.

Partem tamen hoc modo usurpari a Paulo JCto putat Noodius (a); ait Paulus: *ususfructus in multis casibus pars dominii est* (b), quod tamen in genere & proprie verum esse non potest, tunc enim Paulus sibi ipsi foret contrarius, dixerat enim alibi, *ususfructus non dominii pars, sed servitutis est* (c), neque hoc cum definitione ususfructus, quam idem Paūlus dederat, conveniret, quippe, *ususfructus*, inquit, *est jus alienis rebus utendi, fruendi salva earum substintia* (d), si autem ususfructus esset pars dominii, foret jus suis, non alienis rebus utendi, quod falsum, indicare itaque videtur usumfructum, quibusdam casibus esse partem dominii; vel potius, sub dominii nomine comprehendendi, veluti fundo alicui legato, cuius ususfructus alienus est, vel heredis, heres stricto jure non nisi fundum legatario deberet præstare, legatarius enim, accepta nuda proprietate, rem habere dici potest, sed Lex. XII. tabl. voluit, testatoris voluntatem esse pro lege, testator vero erga legatarium exerciturus

(a) Lib. I. de usufructu cap. 2. Tom. II. oper. pag. 389.

(b) L. 4. ff. de usufr. & quemadm. caveat.

(c) L. 25. ff. de verb. sign.

(d) L. 1. ff. de usufr.

turus liberalitatem non videtur solum, & inane nomen sine ullo emolumento ad legatarium venire voluisse, ideoque legatarius & dominium & usumfructum quasi dominii partem petere potest, ut Papinianus (e), Julianus (f) & Modestinus (g) Icti docent. Sic & in stipulationibus & in contractibus, in quibus magis contrahentium voluntas, quam strictum jus, inspicitur, nam qui fundum stipulatur, etiam usumfructum stipulatus esse creditur, & quidem, ut Julianus ait! (h), *qui usumfructum fundi stipulatur, deinde fundum, similis est ei, qui partem iundi stipulatur, deinde totum, rationem addit, quia fundus dari non intelligitur, si ususfructus detrahatur, sic etiam in venditionibus, in vendendo enim, testante Pomponio (i), quedam, si non condicantur, praestanda sunt, veluti, ne fundas evincatur aut ususfructus ejus.*

§ IX.

Et vitta comptos voluit pretendere ramos.

Lib. VIII. vs. 128.

Hæc Aeneas in oratione ad Regem Latinum dicit, & hisce quidem signis petebant pacem, quippe fatendo, se viribus ejus esse impares & itaque cum eo pugnare nolle, ut adnotat Servius ad hunc locum, hic mos in pancratio & certaminibus Græcis

(e) L. 66. §. 6. ff. de legatis. 2.

(f) L. 6. ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consumunt.

(g) L. 19. ff. usu & usufr. par legatum datis.

(h) L. 58. ff. de verb. oblig.

(i) L. 66. ff. de contr. empt.

cis obtinuit; illum, qui palmam prætendit, Ulpianus JCtus cedentem nominat (*k*), eumque interficere commilitoni non licet, & si commilitonem cedentem vulneraverit erit Aquiliæ locus; æmulum tamen in illis certaminibus interficere licet, quia gloriæ causa & virtutis, ut ait Ulpianus (*l*), non injuriæ gratia damnum datum videtur, quod etiam voluisse Diocletianum & Maximianum Imp. ex eorum verbis colligi potest (*m*), ast Constantinus Imp. merito omnes gladiatores prohibuit (*n*).

§ X.

*Nympha decus fluviorum animo gratissima nostro
Scis, ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile,
Prætulerim cæloque libens in parte locarim.*

Lib. XII. vs. 142—145.

Hæc Juno dicit ad Juturnam Turni sororem; Servius autem adnotat, hic inveniri figuram Liptotem (seu potius Litoten) per contrarium, plus enim dici minus intelligi, quod sic demonstrat, Junonem alias omnes persecutam esse, huic libenter indulisse, & dicere se hanc omnibus prætulisse, quasi etiam alias in honore habuerit; ast, figuram hanc esse litoten per contrarium, non video, neque putem Junonem hic plus dicere & minus intelligere; sed minus dicere & plus intelligere, quod sic demon-

strari

(*k*) L. 7. §. 4. ff. ad Leg. Aquil.

(*l*) L. ead.

(*m*) L. un. Cod. de Athletis.

(*n*) L. un. Cod. de gladiator. penit. tollend.

strare posse videtur; Juno dicit Juturnæ, se eam unam omnibus prætulisse, sed non tantum aliis prætulit; ast solam eam amavit, omnesque alias a Jove stupratas odio perpetuo persecuta est: nonne ergo minus est aliquem præferre cæteris, magis, quam cæteros amare; quam aliquem solum amare, alios odise, dicit itaque Juno minus, plus intelligit, ratione quidem cæterarum a Jove stupratarum, magis dicere minus intelligere, non negem; orationem vero non a parte cæterarum; sed a parte Juturnæ inspiciendam esse quisque concedat; fallitur itaque Servius.

Cum hoc loco Servii Cl. Noodtius confert (o) verba hæc Ulpiani: *pietas parentibus, et si inæqualis eorum potestas æqua debebitur* (p); potestas autem patris & matris non est inæqualis, matri quippe nulla, patri plena liberorum potestas est, quod ipse Ulpianus (q) & Justinianus Imp. (r) docent, aliter itaque hæc verba Ulpiani explicanda sunt, & quidem eadem figura dictoris hic, quæ apud Virgilium est, occurrit; non autem Ulpianus, ut Noodtius docet, plus dicit minus intelligit, sed e contrario, minus dicit, plus intelligit, quippe ait, pietatem parentibus æquam deberi, licet parentum potestas sit inæqualis, ast non inæqualis est, sed alteri nulla, alteri omnis, quid ergo manus? quid minus? certe minus est, inæqualem esse parentum

po.

(o) Lib. II. Observ. cap. 15 Tom. I. Oper. pag. 335 & 336.

(p) L. 4. ff. de Curatorib. fur. & al. extra ord. dand.

(q) L. 4. in fine ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt.

(r) §. 10. Inst. de adopt.

potestatem, quam alteram nullam, alterum omnem habere potestatem; atque eadem explicatio in Sallustii verbis, a Servio allegatis, obtinet, *Ponticum mare*, ait, *esse dulcissimum, quam cætera*, cum tamen solum mare Ponticum sit dulce, cætera amara, minus certe dictum est, mare Ponticum cætera maria dolcedine superare, quam Ponticum mare unum esse, quod dulce est: eadem figura litotes utitur Ulpianus, dicens: *servum, qui se ipse interficere conatus est non nihil in alium ausurum* (s), ubi pro *non-nihil*, *nihil* non legendum putaverat Vryhofius (t), Fornerium (v) secutus; sed Putmannus eleganter demonstravit (w) *non nihil* pro *baud parum* dici:



C A P U T III.

Ex Horatio, Ovidio & Manilio.

§ I.

Omnia conductis coëmens obsonia nummis.

Horatius Lib. I. Sat. II. vs. 9.

Videmus Horatium dicere nummos conductos, pro fœnori datis; ita quoque Plautus: *locare argenti nemini nummum queo* (a);

merx

(s) L. 23. §. 3. ff. de Ædilit. editio.

(t) Observ. Jur. Civ. Cap. II.

(v) Lib. III. Select. cap. 8.

(w) L. II. Probab. Jur. Civ. cap. 8.

(a) In *Mostell.* A. III. S. I. vs. 4.

merx quoque, quam Caus (b) aliique JCti in locatione usur-
pant, de fœnore dicitur, sic noster poëta:

Quinas hic capiti mercedes exsecat — (c).

Et Persius canit:

Fœnoris accedat merces, binc exime sumtus (d).

Et revera quoque, si non attendas ad JCtorum subtilitates,
fœnus locatio, mutuum commodatum est, multæ certe differen-
tiæ a JCtis sunt excogitatæ; sed, quæ, si rerum simplicitatem
quæras, nihil obstant.

§ II.

— Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti,

Lib. I. Epist. II. vs. 49. & 50.

Poëta ait oportere, ut possessor valeat, si rebus comporta-
tis, idest comparatis acquisitis, bene uti cogitat; possessor ita-
que hic pro domino usurpari manifestum est, sic quoque nonnun-
quam apud JCtos, ut Paulus docet (e); hoc modo forsan ver-
ba Justiniani Imp. explicari possent, actiones enim Publicianam
& rescissoriam sic proponit; ecce plerumque ita permittitur in rem
agere, ut vel actor diceret se quasi usu cepisse, quod non usu
cepit:

(b) L. 2. pr. ff. locati conduct.

(c) Lib. I. Sat. II. vs. 14.

(d) Sat. VI. vs. 67.

(e) L. 78. ff. de verb. sign.

cepit: vel ex diverso possessor diceret, adversarium suum non usuccepisse, quod usucperit (f), ubi possessor propria significatione sumi nequit, non enim haec actio rescissoria datur possessori, sed praesenti domino, cujus bona per absentem usucapta sunt (g), vel absenti, cujus bona per praesentem usucapta sunt (h), estque haec actio praetoria in rem.

§ III.

Ab nimium simplex Helene, ne rustica dicam.

Hanc faciem culpa posse cdrere putas.

Ovidius Heroid. Epist. XVI. vs. 285. & 286.

Naso jungit voces *simplex* & *rusticus*, ita tamen, ut majorem significationem posteriori, quam priori tribuisse videatur; adulterium culpam nominavit, quod crimen dicere potuisset; sed Paris Helenam ad amorem pellicere cupiens, rem turpem honestiori vocabulo lenivit, atque hoc argumento adulterium in Helena crimen non esse demonstrat, quod facies ejus tam pulchra sit, ut culpa carere nequeat: unde addit:

Aut faciem mutes, aut sis non dura necesse est (i).

Ulpianus quoque *rusticitatem* & *simplicitatem* hoc modo jungit: *qui ob segnitiem vel rusticitatem, inertiam simplicitatem vel ineptiam remo-*

(f) §. 3. Inst. de Actionib.

(g) L. 21. §. 1. ff. ex. quib. caus. maior.

(h) L. 1. § 1. L. 2. & seq. ff. eod.

(i) Her. Ep. XVI. vs. 287.

remotus est a tutela (k). Harum vocum significationem hic indagare lubet. *Segnities* a Cl. Noodtio per *animi hebetationem*, *stupiditatem* explicatur (l); sed apud Virgilium (m) dicitur: *sera signities*, quia seros sive tardos homines facit, ad quem locum Servius notat, *segnem esse sine igne*, itaque pro *frigido*, ut *securus, sine cura*, unde *segnis pro lento*, ut apud eundem: *fuga segnis equorum (n)*, *frigidus enim & frigere* sæpe tarditatem significant, ut Virgilius ait, *Dreancis dextram bello esse frigidam (o)*; &: *equus jam annis segnior (p)*. Servius itaque *segnem* merito per *frigidum* interpretatur, *segneties* ergo in verbis Ulpiani non tam ad *animi hebetationem*, quam ad negligentiam sive tarditatem in rebus curandis referenda videtur. *Rusticitatem* magis, quam *simplicitatem* indicare ex verbis Ovidii vidimus; *rusticus* autem sæpius pro *minus culto* occurrit, sic: *rusticus es Coridon (q)*; *rusticitas* itaque apud Ulpianum erit, parum nitida rerum administratio.

Inertia pro stultitia usurpari variis locis patet, sic Horatius canit:

*Strenua nos exercet inertia, navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere ——— (r).*

Et

(k) L. 3. § ult. ff. de suspect. tutorib.

(l) Lib. I. probab. cap. 13. Tom. I. Oper. pag. 30.

(m) Aen Lib. II. vs. 373. seqq.

(n) Lib. X. vs. 592.

(o) Lib. XI vs. 338.

(p) Lib. III. Georg. vs. 95.

(q) Ecl. II. vs. 56.

(r) Lib. I. Epist. XI. vs. 28 & 29.

Et Virgilius:

— *O nunquam dolturi, o semper ineris
Tyrrheni* — (s).

Ad quem locum Servius idem observat, eadem significatione usurpata videtur a Propertio canente:

Tendis iners docto retia nota mihi (t).

Atque idem apud JCtum nostrum significare videtur; *simplicitatem* minus quam *ruficitatem* indicare ex verbis Ovidii novimus, laudatur autem *simplicitas* ut apud Horatium: *simplex munditiis* (v). Sed locus Taciti, huc referendus, pulcherrimus est: *inerat tamen simplicitas & liberalitas, quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur* (w); hic itaque pejore sensu & pro parum cauta tutelæ administratione sumitur. *Ineptia autem, quæ aptitudini, obstat, significat forsan animum, licet ad alias res satis aptum, ad tutelam gerendam ineptum.*

Sensus itaque totus & differentia harum vocum erit hujusmodi: qui a tutela vel cura remotus est, quia in gerenda tutela vel cura nimis erat tardus, quia ipsi non satis erat cordi, quia non satis ad pupilli vel adulti commoda agilis, itaque ob *segnitatem*; vel quia propter animum ad res gerendas non satis edocutum, rusticum, parum accurate tutelam gerebat, itaque ob *ruficitatem*.

(s) Lib. XI. vs. 732.

(t) Lib. II. El. XXIII vs. 70.

(v) Lib. I. Oda V.

(w) Lib. III. Historiar cap. 86.

sticitatem; vel, quia sine ulla arte, plane in omnibus rebus stu-
*tus, non erat, qui tutelam vel curam susciperet, itaque ob *iner-**
**tiām;* vel quia animum simplicem, non satis a fraudibus alio-*
*rum cautum, nimis credulum, in vitium verterat, itaque ob *sim-**
**plicitatem;* vel quia, licet ad alias res gerendas satis aptus, ad-*
tutelae tamen vel curae administrationem ineptus erat, itaque ob
**ineptiam,* integra aestimatione a tutela vel cura abibit. Sic for-*
fan Lex illa ex poëtis explicari posset.

§ VI.

Ipse mibi quovies irata, adultera, dices!
Oblitus nostro crimen inesse tuum.

(Epist. XVII. vs. 217 & 218.

Cl. Noodtius de hoc loco agit (x), explicans verba Ulpiani:
mixtum imperium est, cui etiam jurisdictio inest, addi his possevi-
dentur dicta Terentii:

Virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc: Jovem
Quo pacto Danae misisse aiunt quondam in gremium imbreu aureum (y).

Atque hæc optime cum dictione Ulpiani convenient, & dicendi
 formulam ab illo usurpatam egregie explicant.

§ V.

(x) Lib. I. de Jurisdict. & Imp. cap. 2. Tom. I. Oper. pag. 95.

(y) In Eumenio A. III, S. V. vs. 35 — 37.

§ V.

*In vulgusque dabit fructus, & mille per artes
Vellera diversos ex se parientia quæstus.*

Manilius Lib. IV. vs. 130. & 131.

Hæc de Ariete dicit, cum signorum cœlestium proprietates enarrat; patet autem hinc, licet proprie fructus agrorum & arborum improprie pecudum dicantur, non tamen tam absurde etiam fructus pecudum a JCtis dici, poëtas enim ea quoque dictione usos esse; *in fructibus pecudum sunt lac, pilus, lana,* ut testatur Gajus JCtus (z), imo etiam *fætus pecudum in fructu esse*, ut agnos, boedos, vitulos, equulos & succulos, Cassius & Sabinus, teste Ulpiano (a), voluerunt, quod etiam dicunt Gajus (b) & Justinianus Imp. (c).

§ VI.

*Undamque inducere tectis,
Ipsaque converfis adspergere fluctibus astra,
Litoribus novis per luxum ludere ponto,
Et varios fabricare lacus & flumina ficta,
Et peregrinantes domibus suspendere rivos.*

Lib. IV. vs. 260—264.

Aquarium undecimum Zodiaci signum has artes tribuisse, ait;
non

(z) L. 28. ff. de usuris & fructib.

(a) L. 68. § 1. de usufruct. & quemadmodum.

(b) L. I.

(c) §. 37. Inst. de rer. divisi.

non autem *terris* sed *tectis* legendum esse Scaliger jure docet (*d*), Salmasius autem hos versus plane aliter legebat, ut testatur Menagius (*e*). Patet hinc veteres solere etiam rivos parietibus imponere, qui voluptati inserviebant, sed parietibus valde noxia rainam accelerabant, ideo Neratius JCtus ait, *usufructua-*
rium novum rivum parietibus non posse imponere (*f*), ubi male alii mutant *tectorium*, in quibus magnum Cujacium errasse, Merlinus ostendit (*g*), quam legem Cl. Noodtius etiam explicat (*h*).

De his aquis in domos deductis Seneca hæc narrat: *desit sene-*
varietas marmorum, & concisura aquarum cubiculis influentium (*i*);
 & alibi: *quid perlucentes ad imum aquas & circumfluentes ipsa*
convivia loquar (*k*); rursus alibi: *in cubili natant pisces, & sub*
ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam (*l*). Statius etiam canit:

*An picturata lucentia marmora vena
 Mirer? an emissas per cuncta cubilia lymphas* (*m*).

Meri-

(*d*) Ad h. I. pag. 220. comment. & castigat. in Manilium,

(*e*) In Amoenitat. Jur. Civil. cap. XLI.

(*f*) L. 61. ff. de usufructu & quemadmod.

(*g*) Lib. III. variantium ex Cujacio. cap. 1. Tom. II. oper. pag. 306—308. edit. Neapol. 1720.

(*h*) Idque bis iisdem plane verbis, scilicet Lib. I. observat. cap. 12. Tom. I. oper. pag. 311 & 312., & Lib. I. de usufr. cap. 12. Tom. I. oper. pag. 418 & 419.

(*i*) Epistola C.

(*k*) Cap. I. de tranquillit. animi.

(*l*) Lib. III. Natur. quest. cap. 17.

(*m*) Lib. I. Sylv. carm. 3. Tiburtin. Manlii Vopisci. vs. 56 & 37. VI.

Merito autem ad hunc locum notat Gevartius, non esse hic intelligendas aquas calidas, sed aquam frigidam, quam tubis inclusam ad aestivum calorem minuendum per singulos cubiculorum suorum parietes deducebant, atque hunc morem adhuc in Oriente etiam in ædificiis vulgi obtainere, docet Chardin (n).

De aqua quoque quæ amoenitatis gratia in prædium urbanum deducitur Paulus loquitur (o), quem locum etiam Cl. Noodtius tractat (p).



C A P U T V.

Ex Juvenali & Martiali.

§ I.

Unde reversi

Conducunt foricas

Juvenalis Sat. III. vs. 37. & 38.

Vetus Scholiastes notat ad hunc locum, *foricas esse stercora*:
hoc est vestigal, *alios tamen intelligere tabernas foro vicinas, alios*
vestigal

dear. ad hunc locum J. Marklandus, qui pro *lymphas nymphas legere malle*
videtur; in edit. splendidissima, quæ prodiit Londini An. 1728. in 4. pag. 40.

(n) In libro, cuius rubrum: *Voyages en Perse*. a Amsterd. 1711. Tom.
 II. Chap. 18. pag. 79.

(o) L. 3. pr. ff. de aqua quotid. & aestiva.

(p) Lib. I, probabil. cap. 3. num. 7. Tom. I. oper. pag. 8 & 9.

vestigal vinarium, quod ex Africa iu urbem vehebatur, alios domos publico suntu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucrum capiebant; Lubinus intelligit latrinas a servis impuris exhaustidas; optime autem Tarteron hunc locum sic Franco-Gallice reddidisse videtur: Au sortir de là ils vont traitez & convenir de prix, pour vuider des privez (a). Hunc locum omittere nolui, quippe quo sequentia verba Pauli JCti explicari possunt: Fiscus ex suis contractibus usuram non dat, sed ipse accipit: ut solet a faciariis, qui tardius pecuniam inferunt (b). Ubi JCtus eosdem ac Juvenalis intelligere videtur.

§ II.

*Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto,
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit atque homines in ventre necando
Conducit. ——————*

Sat. VI. vs. 594—597.

Notat infandum crimen abortus, quod illis temporibus sœpe perpetratum esse videtur. Senatusconsulto Tertulliano tempore Hadriani præmium datum est iis, quæ ter pepererant, ut scilicet præmio quodam matres ad procreandos educandosque liberos invitarent, ut impiana liberorum exponendorum audaciam, nec non ut flagitia nefaria mulierum, quæ abortibus operam dabant

(a) Pag. 161. edition. Amstel. 1695.

(b) L. 17. § 5. ff. de usuris.

dabant, tollerent, SCto Tertulliano constitutum est, ut mulier ingenua, quæ ter, libertina, quæ quater perpererat, ad filiorum filiarumve bona admitteretur; quod tamen mutavit Justinianus, matrique dedit, successionem, *licet ingenua ter, libertina quater non pepererit* (c), immerito antem Justinianus hanc constitutionem quasi impiam rejicere videtur, fuit enim plena pietatis, eo quidem intuitu, quo spectat Imperator, certe non admodum justum videtur, matrem puniri, quia non satis liberorum peperit, quo tamen nihil peccavit, sed si sic inspiciamus non tam iniquum esse patebit; matri scilicet L. XII. tabl. non licet unquam succedere liberis, quippe, quæ inter agnatos non erat, SCtum tribuit itaque hoc privilegium, quibus voluit, idque non omnibus, sed illis tantum ingenuis, si ter, libertinis, si quater pepererint, idque optimo consilio, ut supra vidimus.

Merito autem Juvenalis, quod obiter adnotem, dixit criminis abortus homines necari, homo enim quoque dicitur, licet nondum natus, uti a Plinio: *homo incerto gignitur spatio* (d).

§ III.

*Qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia; nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat:
Panem & Circenses*

Sat. X. vs. 78—81.

Poëta.

(c) L. 2. Cod. de jure liberor. & § 4. Inst. de SCto. Tertulliano.

(d) Lib. VII. cap. 5.

Poëta ait populum, qui olim omnia dabat, tempore ipsius se continere, & anxiū res tantum duas optare: Panem & Circenses id est, ut gratis quotidie accipiat panem, quem Imperatores distribui jubeant, & ut ludis Circensibus interesse liceat. Olim nimirum omnis potestas erat apud populum, sed postquam Julius Cæsar libertatem violavit, rempublicam subegit, omnem potestatem Imperatores adepti sunt; populus nullam fere sibi reservavit, unde intelligi possunt verba Modestini Jcti: *legem Julianam de ambitu in urbe cessare, quia ad curam principis magistratum creatio pertinet, non ad populi favorem* (e).

§ IV.

*Solis præterea testandi militibus jus,
Vivo patre, datur; nam, quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit, non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater.* — — —

Sat. XVI. vs. 51—54.

Optime ait Juvenalis militibus solis esse jus testandi, vivo patre, & merito addit, ejus causam esse, quod habeant peculia castrenia propria, Lex enim XII. Tabl. testandi jus non, nisi civibus Romanis, patribus familias, dedit, neque filii familias dare poterat, qui nihil suum habebant, quippe omnia patribus adquirentes; Augustus autem initium illi privilegio tribuit, quod Ulpianus (f) & ex eo Justinianus (g) testantur, progressum

Titus

(e) L. un. ff. ad L. Jul. de ambitu.

(f) L. i. ff. de milit. testam.

(g) Princ. Inst. quibus non est permitt. facere testament.

Titus & Domitianus dederunt, quorum licet Justinianus oblitus sit (b), Ulpianus tamen mentionem fecit (i), idque merito, hoc enim dictum Juvenalis ostendit, id etiam Imperat. Domitiano, saltem obtinuisse, quippe, quem sub imperio Domitiani vixisse, plus quam verisimile est; consummationem vero debet Hadriano, qui illud privilegium antea militantibus tantum concessum, etiam veteranis dedit, teste Justiniano: peculium autem castrense Juvenalis hoc esse ait: *Quæ sunt parta labore militiæ; Macer JÆtus addit id, quod a parentibus vel cognatis militiam agenti donatum est, sed quod, nisi militaret, acquisitus non esset* (k).

§ V.

Sit cisterna mihi, quam vinea, malo, Ravennæ:

Cum pessim multo vendere pluris aquam.

Martialis Lib. III. Epigr. 56.

Ravenna, Urbs Galliæ, inter marinas paludes sita, aquis dulcibus destituta erat, ut etiam ex his versibus Silii Italici patet:

*Quique gravi remo limosis segniter undis,
Lenta paludosæ perciidunt stagna Ravennæ* (l).

Et ex his Sidonii Apollinaris:

Bee-

(b) Ibid.

(i) d. L. 1.

(k) L. II. ff. de castrensi peculio.

(l) Lib. VIII. vs. 601 & 602.

*Boetinque patriam semel relinquens,
Undosæ petiit sicut Ravennæ (m).*

Atque ex hisce ejusdem viri dictis: *te Ravennæ felicius exulantem, auribus Padano culice perfoſſis, municipalium ranarum turbæ circumſilit, in qua palude indeſinanter rerum omnium lege perverſa, muri cadunt, aquæ ſtant: —— Sitiunt vivi, natant ſepulti.* cet. (n); de ranarum multitudine quoque celebratur a Martiale canente:

Meliusque ranæ garriant Ravennates.

Et Adriaticus dulcius culex cantet (o).

Claudianus eandem urbem memoravit (p); ibi autem aquam ob dictam cauſam, venalem esse Martialis ait, id quoque Aegypti in Africa obtinuisse, Ulpianus docet (q), *si autem ibi locorum, ubi aqua venditur, quis alicui alimentum legat, aquam quoque eo legato contineri* Ulpianus ait (r), sic exemplum verbis Ulpiani adſtruiimus.

§ VI.

Non est paupertas Nestor habere nihil.

Lib. XI. Epigr. 33.

Martiales negat, nihil habere paupertatem nominari posse, id
enim.

(m) Carm. IX. vs. 298 & 299.

(n) Lib. I. Epift. 8.

(o) Lib. III. Epigr. 93. vs. 8 & 9.

(p) De VI. Consulatu Honorii vs. 494 & 495.

(q) L. 14. § 3. ff. de Aliment. & cibar. legat.

(r) L. 1. eod. Tit.

enim *egeſtas* nominandum est, quæ est extrema paupertas, unde Seneca ait: *Non eſt, quod paupertas a Philosophia nos removeat, ne egeſtas quidem* (s); & alibi: *quanta verborum nobis paupertas, immo egeſtas fit, nunquam magis, quam hodierno die intellexi* (t); *pauper enim dicitur homo modici patrimonii, ut Modestinus JCtus loquitur* (v), unde etiam Tibullus canit:

Me mea paupertis vitæ traducat inertis (w).

Licet paulo post addat:

Despiciam dites despiciamque famem (x).

Merito Doctissimus Heyne, novus & egregius hujus poëtæ interpres, observat, *paupertatem priori versu Tibulli dici de fortuna, si non lauta, at nec tenui & despecta* (y).

Hisce intelligi potest, quomodo verba Pauli sint explicanda, dicentis: *cum, qui ex causa donationis convenitur, condemnari in quantum facere potest, deducto ære alieno, sed & ipsi rationem habendam effe, ne egeat* (z), nimirum ut liber sit ab *egeſtate* non a *paupertate*.

Vox

(s) Epist. XVII.

(t) Epist. LVIII. in initio.

(v) L. 15. § 15. ff. de excusat.

(w) Lib. I. El. I. vs. 5.

(x) Ib. vs. 78.

(y) In annotat. ad vitam Tibulli a Vulpio conscriptam pag. LV. edit. anno 1777.

(z) L. 19. ff. de re judicata.

Vox Batava *armoede* (quod obiter observem) ab antiquis scriptoribus eodem modo, ac *paupertas* apud Latinos, usurpatum, & ab *egestate* distinguitur, sic Coornhert Philosopherus Batavus narrat, se coactum esse, victimum manibus querere, cuius rei causam addit: *doort ontberen van alle myne armoede*, ubi *armoede* sine dubio pro modico patrimonio sumitur (a), & magnus ille vir P. C. Hooft eodem sensu hac voce usus est (b), imo sic etiam a recentioribus auctoribus usurpatum, Poot enim, venustus ille poëta, canit:

*'s Mans arremostje wort van beulen en soldaeten
Geplondert, gevrybuit; de taerling deelt zyn kleet (c).*

(a) In libelli, cuius rubrum: *Twee-spraack van de Nederduitsche Letterkunst*. Amsterd. 1614. præfatione, pag. (si ab initio numeres) 10. fol. noctato A. 5. verso.

(b) *Nederlandscbe Historieën* VI. Lib. pag. 235.

(c) *Gedichten van Hubert Corneliszoon Poot, te Delft.* 1722. In 4. pag. 24. est autem Tom. I.



PARTIS ALTERIUS,
SECTIO SECUNDA.

C A P U T P R I M U M

Ex Plauto & Terentio.

S. I.

*E quidem joco illa dixeram dudum tibi
Ridiculi causa. ——————
————— Si quid dictum est per jocum
Non æquum est id de serio prævortier.*

Plautus in *Amphitruone* A. III. S. I. vs. 35, 36, 39 & 40.

Jupiter agit personam Amphitruonis, ut Alcumenæ in tempore auxilium ferat, sicut ipse ait (a), venit itaque ad illam, quæ ipsi, quasi marito suo, injuriam sibi ab illo verbis illatam exprobrat; dixerat enim Alcumenam esse adulteram; Jupiter, Amphitruo.

(a) A. III. S. I. vs. 17,

phitruonem simulans, veniam injuriæ impetrare conatur, præ se ferens, hæc a se non nisi joco & ridiculi causa dicta esse, neque, quod dictum est per jocum, serio accipi æquum esse, quæ regula etiam a plurimis Jctis recepta est, Ulpianus enim ait: *eum, qui per jocum aliquem percutiat non teneri (b)*, sic quoque, *qui lusus gratia servum deteriorem reddit teneri negat (c)*, Modestinus, *lubricum linguæ non facile ad pœnam trahendum esse censet (d)*. Non autem hæc regula adeo in universum tenenda, quæ jocis promiscue impunitatem tribueret, ut Leiserus optime animadvertisit (*e*), neque etiam Alcumena hac excusatione contenta ait:

*Ego illud scio, quam doluerit cordi meo,
Ab impudicis dictis avorti volo,
Valeas, tibi babeas res tuas, reddas meas (f).*

Rata nimirum nemirem pœnitentia sua nocentem esse desisse, quod etiam Bacchis apud Terentium censet, dicens:

Qui post factam injuriam expurget mihi parum profit (g).

Postquam autem Amphitruo jurat, se arbitrari uxorem suam esse pudicam, &, si fallat, querit, ut summus Jupiter sibi semper iratus sit, hoc jure jurando, contenta addit: *primum ca-*

ven-

(b) L. 3. § 3. ff. de injuriis.

(c) L. 3. pr' ff. de servo corrupt.

(d) L. 7. § 3. ff. ad L. Jul. Majestat.

(e) Vol. VIII. meditation. ad ff. Specim. 569. § 26. pag. 682.

(f) A. III. § III. vs. 41, 46. & 47.

(g) In Hecyra A. V. S. I. vs. 15. & 16.

vendum fuisse, ne diceret, verum eadem, si iisdem purget, sibi patienda esse; magis insolens est Sannio leno apud Terentium dicens:

*Tu quod te posterius purges, nolle, hanc injuriam mibi
Factam esse, hujus non faciam. Cet. (b).*

§ II.

*Interii, si non invenio illas viginti minas,
Nam si mutuas non potero, certum est, sumam fœnore.*

In *Afinaria* A. I. S. III. vs. 90. & 95.

Argyrippus adolescens mutuum a fœnore plane distinguit sic etiam Albinovanus, si modo Albinovanus, neque aliis auctor, canit:

*Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die (i).*

Idque optime, mutuum enim usurarium priscis Romanis plane incognitum fuit; *mutuo, quippe semper gratuito, pacium de usuris adjici non posse*, Ulpianus ostendit (k), *de usuris tamen, si quis convenire vellet, non nisi per stipulationem id fieri poterat*, docente Africano (l), postea tamen mutuum usurarium in usu quoque esse cœpit (m).

§ III.

(b) In *Adelph.* A. II. S. I. vs. 8 — 12.

(i) *Eleg. I. ad Liviam Augustam de morte Drusii Neronis* vs. 369. & 370.

(k) L. II. § 1. ff. de reb. credit.

(l) L. 24. ff. de præscript. verbis.

(m) Videat. *Novella Justiniani XXXII. & Leonis LXXXIII.*

§ III.

*Nam pecuniae probam nihil habere addecet
Clam virum, & quae habet partum, ei haud commodi est,
Quin viro aut subtrabat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quidquid tuum est.*

In *Casina A. II. S. II.* vs. 26—29.

Murina hæc refert Cleostratæ, narranti de ancillula sua, postquam illam rogasset, unde illa ancilla ejus, non mariti esset. Doct. Autem Justus Lipsius eleganter pro: & quod habet partum, ei haud commodi est legiſle videtur & quod habet, partum ei haud commode est (n). Et hæc quidem egregie a Plauto dicta; stante enim matrimonio, uxor nihil, nisi ex re mariti acquirere potest, & opereras officiales marito præstare debet, ut Hermogenianus JCtus docet (o), adeoque, licet quid maxime industria comparaverit, id tamen non sibi, sed marito acquirit, indeque Quintus Mucius apud Paulum JCtum (p) ait; cum in controversiam venerit, unde ad Mulierem quid pervenerit, existimari a viro, aut qui in potestate ejus esset, ad illam pervenisse, idque Paulo videtur a Quinto Mucio circa uxorem probatum esse turpis quæstus gratia, idemque fere Antoninus Imp. Nepotiano rescripsit (q). De utraque autem sententia & Plauti & JCtorum agit Scipio Gentilis JCtus (r), atque ad hunc locum Plauti Consultiss. Simon Monsieur disserta-

tionem.

(n) Lib. V. Antiquar. lection. cap. I. in princip.

(o) L. 48. p. ff. de oper. libert.

(p) L. 51. ff. de donat. int. vir. & uxor.

(q) L. 6. C. eod.

(r) Lib. I. Parergor. cap. 19.

tionem juridicam in auguralem eruditorum examini exposuit (s).

§ IV.

*Nescio, neque ego istas vostras leges Urbanas scio,
Nisi quia hunc meum esse dico. — — —*

In Rudente A. IV. S. III. vs. 85 & 86.

Plautus alludit ad formulam solemnis vindicationis; sic quoque Virgilius:

— *Hæc mea sunt: veteres migrate coloni (t).*

Sic Labeo JCtus ait: *petere poteris servum esse tuum (v);* & Ulpianus: *Si fundum vindicem meum esse (w);* plura autem de hoc loco apud Doctiss. Briffonium (x) & Galvanum (y) inventi possunt.

§ V.

Si. — — Feci, ex servo, ut esses libertus mihi.

Propterea, quod servibas liberaliter.

So. In memoria habeo. Si. haud muto factum. So. gaudeo.

Terentius in Andria A. I. S. I. vs. 10, 11 & 13.

Simo senex ait, se factum, scilicet quod Sosiam antea servum manumiserat, non mutare; rogari posset, an ergo mutare poterat,

(s) Harderovici die 6. Julii 1764.

(v) Ecl. IX. vs. 4.

(w) L. 42. ff. de liber. causa.

(x) L. 6. § 2. ff. de confess.

(y) Lib. V. de formul. § 19. p. 356.

(t) In dissertationib. variis de usufructu cap. XXV. pag. mihi 301.

rat, quod fecerat? omnino; Sosiam enim, si ingratum erga ipsum probasset, in servitutem redigere, quod Valerius Maximus jure Attico licuisse docet (z); atque idem apud Romanos invalidit; nimirum capitis diminutio accidebat his, qui servi pœnæ afficiebantur atrocitate sententiæ, vel libertis, ut ingratiss erga patronos condemnatis: vel, qui se, ad pretium participandum, venumdari passi erant (a); modus primus sublatus est (b), tertius desit quoque, & postea plane sublatus est (c), mansit autem modus secundus, ab Atheniesibus ortus, quem a Claudio Cæsare introductum esse, Tacitus docet (d), nec non Suetonius dicens: *in gratos, & de quibus patroni querentur revocavit in servitutem* (e): ubi tamen Torrentius particulam et merito delendam esse censet. De hoc patronorum jure, servos in gratos in servitutem redigendi Connarus multa profert (f). Falsum itaque, vel saltem non omni exceptione magius est dictum Senecæ: *Excepta Maedonum gente non est in ulla adversus ingratum animum actio* (g). Nam præter unum, quod apud Athenienses & Romanos obtinere vidimus, alterum exem-

plum.

(z) Lib. II. cap. 6. ex. 6. & Lib. V. cap. 3. ex. 3.

(a) § 1. Just. de capit. demin.

(b) Nov. XXII. cap. 8.

(c) Leonis Nov. LIX.

(d) Lib. XIII. Annal. cap. 26.

(e) In Claud. cap. XXV.

(f) Lib. II. Commentarior. Jur. Civ. cap. VII. n. 4 & 5. pag. mihil.

230—232.

(g) Lib. III. de Beneficiis cap. 6.

plum in jure Romano prostat, scilicet, quod donator, si de-
natarium ingratum esse probaverit, donationem everttere pos-
sit (b).

§ VI.

*Te iste virum do, amicum, tutorem, patrem,
Bona nostra hæc tibi permitto, & tuæ mando fidei.
Hanc mibi in manum dat*

Ibidem. A. I. S. V. 60—62.

Chrisis moriens hæc de Glycerio Pamphilo dicit; dat eum Glycerio virum, Glycerium ei in manum dat, est hoc solemne matrimonium, quo Pamphilus non tantum vir, sed & pater fiebat, Glyceriumque in familiam Pamphili & sui heredis locum veniebat (b), eratque erga maritum, ut filia erga patrem, bona ejus permittebantur marito, & quasi ejus fidei mandabantur, sui enim heredes quasi domini censemur vivo etiam patre (i); Pamphilus tutor Glycerii fiebat, id vero improprie & non secundum JCtos; optime quoque maritus amicus uxoris dicitur; admodum illa definitio amicitiae, quam profert Cicero; *omnium Divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & caritate summa consenfio* (k), cum definitione matrimonii, cuius auctor Modestinus JCtus: *conjunctio maris & seminæ, & consortium omnis vitæ,*

(b) L. 10. C. de revocat. donat.

(i) Gellius Lib. XVIII. cap. 6. Servius ad Virgilii Lib. I. Georg. vs. 32. Lib. IV. Aeneid. vs. 103, 104, 214 & 215.

(k) L. 11. ff. de liber. & posthuin.

(l) In Lelio cap. VI.

vitæ, Divini & humani juris communicatio (m), convenit, quod Claris. Noodtius eruditissime animadvertisit (n).

§ VII.

*Ubi te vidi animo esse omisso, & suavia in praesentia
Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem;
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut haec posses perdere.
Ubi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mibi dare,
Abii ad proximos tibi, qui erant; eis commisi & credidi.
Ibi tuæ stultitiae semper erit praesidium, Clitipho,
Victus, vestitus, quo in tectum te receptes.*

In *Ileautontim. A. V. S. II. vs. 9 — 15.*

Chremes senex ingenium filii sui sic graphice descriptis, tales homines ii sunt, quibus merito alimenta legantur, sic enim per totam vitam illis, qui sibi ipsis prospicere nolunt, prospectum est, vietu vestituque ab aliis ipsis præbendis, sed bi, ut ait Ulrianus (o), modico praesenti contenti facile transigerent, & sic prudenter defuncti eluderetur, merito itaque cautum est, ne quis de tali legato, nisi auctore prætore, transigeret, prætor interveniens inter consentientes arbitratur, an transalio, vel quæ admitti debeat (p).

§ VIII.

Ego spem pretio non emo.

In *Adelphis A. II. S. II. vs. II.*

Syrus

(m) L. I. ff. de ritu nuptiar.

(n) Lib. II. Probab. cap. 9. Tom. I. oper. pag. mihi 50 — 52;

(o) L. 8. pr. ff. de transaction.

(p) Ibid.

Syrus servus Sannioni lenoni consilium dat, ut aliquando pecuniam remitteret, id maximum interdum lucrum esse monens, Sannio respondet, se spem pretio non emere, illam tamen emptionem non esse absurdam Jus Romanum docet, veluti *cum captus piscium, avium vel missilium emitur (q), spes enim tunc ipsa merx est*; emptionis ejusmodi, de captu piscium contractæ exempla Valerius Maximus (r) & Suetonius (s) proferunt, de quibus tamen ambabus spei emptionibus quæstio orta erat.

§ IX.

Non mea opera, neque pol culpa evenit —————

In *Hecyra* A. II. S. I. vs. 31.

His verbis se excusat Sostrata apud maritum, qui illam accusabat, ejus opera factum esse, ut Philumenam uxorem Pamphili filij sui visere non posset; optime autem Sostrata *voces operam & culpam* distinguit, ut Donatus etiam adhuc locum animadvertiscit, & idem est, acsi dixisset, non tantum sciens ei malo causam non præbui, sed neque inscia; magna enim differentia inter *operam*, quæ apud JCtos dolus, & inter *culpam*, quam in latam, levem, & levissimam dividi, cuique notum, cernitur; licet quidem dolus & lata culpa æquiparentur (t) admodum tamen

(q) L. 3. §. 1. ff. de contrah. empt. & L. 11. §. ult. in fine ff. de actione empti venditi.

(r) Lib. IV. Cap. I. Extr. Ex. 1.

(s) De claris Rhetorib. Cap. I. in fine.

(t) L. 32. ff. depositi vel contra.

men differunt, ut ex definitione utraque Ulpiani I Cti videre est, (u) dolus enim sine consilio & animo malo esse nequit, culpa vero semper est absque consilio alicui nocendi, quamvis culpa etiam pro crimine usurpetur, ut apud Virgilium:

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ,

Descendam. — — — — — (v)

Turnus dubitaverat, aut saltem dubitantem egerat, quin terga daret, sed sibi melius consulens animam suam, ignobilem fugam aversatam, atque istius culpæ, id est criminis, (fugere enim viro forti crimen est) insciam Diis manibus consecrat.

Non possum non hic quoque locum Virgilii annotare, ubi agricolam, ut contagium pecoris compescat, monens, sic canit:

Continuo culpam ferro compesce. — — — (w)

Ad quem locum Servius adnotat, *culpam morbum non esse, sed Virgilium intelligere culpam agricole* (quam crimen interpretatur) cuius se reum redderet, si uni parcendo totum suum gregem perderet, quem contagio quoque læsura esset, quæ vel vicinum pecus lædit, ut in notissimo versu Poetæ:

Nec mala vicini pecoris contagio lædent. (x)

(u) Vide doli definitionem L. 1. §. 2. ff. de dolo malo, definitionem culpæ latæ L. 213. §. 2. ff. de Verb. Sign.

(v) Lib. XII. Æneid. vs. 648., vide ad hunc locum Servium.

(w) Lib. III. Georg. vs. 468.

(x) Ecl. I. vs. 51.

§. X.

*Dic quid velis dari
Tibi in manum? ut heres his desistat litibus.*

In Phormione A. IV. S. III. vs. 29 & 30.

Hæc sunt verba prævaricatoris; prævaricator enim is est, qui ipse prodita sua causa alteram partem adjuvat, (y) vel advocatus, qui causam clientis prodit, improprie prævaricator dicitur (z) & fit infamis. (a)

Virgilius advocatos prævaricatores eodem loco in inferis, quo sunt, qui fratribus invidi fuerant, parricidæ, avari, iadulteri, & qui arma impia secuti, nec veriti sunt dominorum dextras fallere, pœnam exspectare narrat, canens:

*Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innixa clienti
Inclusi pœnam exspectant ————— (b)*

Ad quem locum Servius adnotat in L. XII.tbl. scriptum fuisse:
Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto. Gellius illos infamia notari docet, (c) quos tamen hodie in Bohemia capite plecti Doctis. Leiferus narrat, & verum exemplum prævaricationis profert. (d)

§. XL

(y) L. 1. ff. de prævaricat.

(z) L. 1. §. 1. L. 3. §. 2. ff. eod.

(a) L. 4 ff. eod.

(b) Lib. VI. Æneid. vs. 608, 609 & 614.

(c) Lib. V. cap. 13.

(d) In Mantissa Opuscilor. Opusc. I. de logomachijs in Jure. §. 72. pag. 331. & 352. Tom. XII. Meditation, ad ff. edit. an. 1774.

§. X I.

Lege agito ergo.

Ibid. A. V. S. VII. vs. 91.

Lege agere hic significat, *Actionem instituere, judicio experiri;*
 sic quoque Euclio senex apud Plautum ait: *lege agito mecum.* (e)
 & aliis locis, Ulpianus eodem sensu ait: *Nemo alieno nomine a-*
gere potest. (f) Idque hujus dicti sensum esse, Pomponius JCtus
 satis docet. (g)

Alibi tamen significat, supplicium de aliquo sumere, sic Eutichus
 adolescens apud Plautum leges dicit senibus, (b) *si autem*
contra fecerint, cum iis se lege acturum, pronunciat, (i) & aliis
 locis.

C A P U T II.

Ex Virgilio.

§. I.

*An mihi cantando vicius non redderet ille?**Quem mea carminibus meruisse fistula caprum,*

S2

(e) In *Aulul.* A. III. S. III. vs. 10.

(f) L. 123. pr. ff. de reg. Jur.

(g) L. 2. §. 6. de orig. jur.

(b) In *Mercat.* A. V. S. IV. vs. 55. & 56.

(i) vs. 59.

*Si nescis meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.*

Ecl. III. vs. 21—24.

Damoetas hic satis demonstrat se farem non esse, furtum est contractio fraudulosa rei alienæ vel etiam usus possessionisve, lucri faciendi gratia facta, nemo autem rei suæ furtum facere potest, neque violenta ablatione rei suæ contrectatio rei alienæ fit, ipse Ulpianus ait, (a) eum, qui rem venditam nondum traditam venditori post solutum pretium surripit, non esse furem, sed teste Paulo, (b) prædo est, idque etiam de Damoeta dicendum.

§. II.

*Ipsæ Caucaso steriles de vertice silvæ
Dant alios alia fætus, dant utile lignum
Navigiis pinos domibus cedrosque cypresosque.*

Georgic. Lib. II. vs. 440, 442 & 443.

Servius ad hunc locum Poëtæ animadvertisit, silvas steriles dici comparatione arborum pomiferarum, nullus enim usus silvæ, nisi arbores cædantur, eaque causa est, cur Divus Hadrianus, teste Pomponio Jcto, (c) statuerit, ei, cui usus silvæ legatus, frumentum quoque legatum videri, quia nisi idem jus, quod usufructuarius habet, ei concederetur, nullius momenti foret illud legatum.

§. III.

(a) L. 14. §. 1. ff. de furtis.

(b) L. 5. ff. de acquirenda vel amittenda possess.

(c) L. 22. ff. de usu & habitat.

§. III.

Arma virumque cano. — — — —

Æneid. Lib. I. vs. 5.

Satis undique notum est, non convenire inter viros doctos, num opus Æneidos hoc versu incipiat, an vero versiculi illi, satis undique noti, quorum initium: *Ille ego, qui quondam, cet.,* præmittendi sint. Servius hosce versus a Virgilio compositos, a Tucca & Vario omissos esse, putat, recentiores nonnulli illos quoque probant; Heumannus vero rejicit, addens: *illos sibi videri in Bavii vel Mævii officina fabricatos esse,* (d) Heinsius & Burmannus opus ab armis incipere aperte etiam demonstrant, (e) & Æneida saepius hisce verbis, ut alia quoque opera primis verbis, *arma virumque allegari;* hac de re differere extra nostrum propositum esset, id tantum addere volebam, verba Florentini JCti idem probare videri, ait enim, *stipulationem valere, & ea,* quæ exstrinsecus sunt adjecta, *pro supervacuis baberi, veluti, si dicas:* *arma virumque cano, spondeo;* (f) quæ verba nisi explices, atque pro certo habeas, illum versum veterum ore tritum & quasi proverbium fuisse, facile putas, JCtum in re seria lusisse.

§. I V.

— — — — *Juvenisque Choroebus*
Mygdonides, illis, qui ad Trojam forte diebus

Veo.

(d) Poecil. Tom. II. Lib. III. Epist VII, pag. 318.

(e) Vid. Editio Virgilii a P. Burmanno curata, Tom. II. pag. 3 & 4.
& Cl. Heyn in Var. Lect. ad h. 1.

(f) L. 65. ff. de verb. obl.

*Venerat insano Cassandré insensus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.*

Lib. II. vs. 341 — 344.

Virgilius nominat Chorœbum Mygdonis filium, generum Priamī, qui tamen gener nondum erat, insano enim Cassandræ Amore incensus venerat Trojam. ut patri Cassandrae, auxilium ferret, neque Cassandra tum erat Uxor Choroebi, sed sponsa, dixerat enim poëta:

*Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat ————— (g).*

Eodem modo Paulus JCtus enumerans inter eos, quibus invitatis non denunciatur, ut testimonium litis adversus alterum dicant, sacerum & generum (b); Sponsum & sponsam etiam indicavit, in legibus enim generi appellatione, filiae quoque sponsum, item socii, sponsæ patrem continere, Gajus (i), Ulpianus (k) & Marcianus (l) JCti testantur.

V.

*Sola domum & tantas servabat filia sedes
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.*

Lib. VII. vs. 52. & 53.

Ser.

(g) Ibid. vs. 345. & 346.

(b) L. 4. ff. de testibus.

(i) L. 5. ff. eod.

(k) L. 6. §. 1 ff. de grad. & affinib.

(l) L. 4. ff. ad L. Pompej. de patricidis.

Servius ad hunc locum adnotat, *poëtam hæc secundum jus dicere, in quo ex annorum ratione & habitu corporis ætas comprobatur, verba matura viro, ad habitum corporis, & plenis nubilis annis ad rationem annorum referens.* Tribonianus autem in institutionibus Justiniani narrat, *veteres quidem pubertatem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis æstimari voluisse (m),* Poëta autem de filia loquitur: *in fœminis autem pubertatem ex habitu corporis æstimare, jam antiquis, impudicum esse, visum est (n),* & itaque Servii animadversio huic loco minus convenire videri posset; quomodo vero inspectio illa intelligenda sit, hic non est inquirendum; sed Servii annotatio non rejicienda videtur, licet enim inspectio habitus corporum in fœminis locum non habuerit, si modo id verum, is tamen verus fons est, unde pubertas æstimatur, experientia enim probaverat, virginem anno duodecimo viromaturam esse, ideoque constituerunt in universum, virginem duodecim annos natam, haberi plenis nubilem annis; videatur autem omnino de hoc loco doct. Bynkershoek (o).

Plura in hoc versu forent notanda, nisi a materia nostra aliena, notetur saltem eandem dicendi formulam a Virgilio hoc versu usurpari:

Casta licet patrui servet Proserpina limen (p).

Ad

(m) Pr. Inst. quib. mod. tutela finitur.

(n) Ibid.

(o) Lib. III. Observat. Jur. Rom. cap. 24.

(p) Lib. VI. Æneid. vs. 402.

Ad quem locum omnino legatur erudita adnotatio doct. P. Burmanni (q).

§. V I.

— — — — — *Littusque rogamus*
Innocuum, & cunctis, undamque, auramque patentem.
 Lib. VII. vs. 229 & 230.

Virgilius hæc optime & juridice exponit, *aer enim, aqua profluens, mare & littora maris proprie sunt communia* (r), licet Ulpianus (s) & Marcius (t) publica & communia, non distinguant, communia autem sunt, quæ, cum omnium rerum communio desit, communia manserunt, quippe quo ad proprietatem nullius, quo ad usum innocuum omnium hominum sunt; publica vero, quorum proprietas est in dominio cuiusdam populi, usus innocuus etiam omnium hominum; optime autem dixit *littus innocuum*, Pomponius (v) enim & Celsus (w) docent, avertendos, qui nocerent aliis usu littorum, veluti adficiis in littore exstructis, usus vero, quo littus innocuum servatur, cuique patet, unde Ilionëus merito, apud nostrum Poëtam, ad Didonem de OEnotriis queriter, canens:

Quod

(q) Tom. III. pag. 67.

(r) §. 1. Inst. de rer. divif.

(s) L. 24. pr. ff. de damno infecto.

(t) L. 2. ff. de divif. rer.

(u) L. 50. ff. de acquir. rer. domin.

(v) L. 3. §. 1. ff. ne quid in loco publico.

(w) Lib. I. Æneid, vs. 543 & 544.

*Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ (x).*

§. V I I.

— — — — — *Helenor,*
*Mæonio regi quem serva Lycymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis.*

Lib. IX. vs. 545, 546 & 547.

Merito dixit Poëta, Helenorem vetitis armis ad Trojam missum esse, ex matre enim Lycymnia serva natus erat, ideoque militare non poterat, sic saltem apud Romanos obtinuit, Marcius JCtus ait, *ab omni militia servi prohibentur: alioquin capite puniuntur* (y); Idque optime Servius contra Donatum observavit,

§. VIII.

*Et tibi Sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aërios nemorum tractus silvasque virentes.*

In Culice, vs. 20—22.

Hæc allocutio ad Palem sic ineptissime in vulgaribus editionibus legitur, quam Josephus Scaliger, vir egregie eruditus, eleganter sic emendavit:

Ec

(x) Lib. I. Æneid. vs. 543 & 544.

(y) L. II. ff. de re militari.

*Et tu sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona fors, cura secura, tenes quæ
Herbiferos saltus nemorum, sylvasque virentes (z).*

*Bonam sortem agrestum explicat per copiam lactis, quam etiam
Tityrus sibi esse gaudebat, canens :*

*Sunt nobis mitia poma
Castaneæque nuces, & pressi copia lactis (a).
Quam pastores, merito dicit, acquirere, cura secura, sine ulla cul-
tura & labore, quum contra agricolaë maximis sudoribus terram sub-
gant, & ex ea fructus percipient.*

*Optime itaque [videtur doctiss. Janus a Costa voces culturam
& curam ita distinguere (b), ut cultura ad agros pertineat, unde
Catullus:*

Rura colit nemo, mollescunt colla juvencis (c).

Et Virgilius :

*Hactenus arborum cultus, & sidera coeli
Nunc te Bacche canam — — — (d).*

*Atque alibi saepius (e); cura contra ad pecus referatur; sic Vir-
gilius:*

Nec

(z) In append. Virgilii pag. mihi 269. edit. Lugd. an. 1573. Cl. Heyne
tamen hanc emendationem non admodum probare videtur, vide eum ad
hunc locum, Tom. IV. Oper. Virgilii pag. 13 & 14.

(a) Ecl. I. vs. 81 & 82.

(b) ad §. 35. inst. de rer. div.

(c) In Epithal. Pelei & Thetid. vs. 38.

(d) Lib. II. Georg. vs. 1 & 2.

(e) Ibid. vs. 35 & 36, vs. 412, & 413. Lib. III. Æneid. vs. 13 & vs.
73, cet.

Nec spes libertatis erat nec cura peculi (e).

Et alibi: Pan curat oves (f), rursus: si tibi lanitium curæ (g).

Unde etiam Papinianus, *fructus, qui ex partu & tonsura ovium proveniunt, curari*, dicit (h), licet vero, hasce voces misceri, non negem, nequaquam tamen illud veram differentiam tollit.



C A P U T III.

Ex Horatio.

§ I.

— *Boves olim nisi reddidisses*

Per dolum amotas. —

Lib. I. Oda. X. vs. 9 & 10.

Horatius hic dicit *res amovere dolo pro furari*, forsitan quia creditur furari de Deo dicere nefas; versibus quidem præcedentibus de Mercurio dixerat: *quicquid placuit condere furto*, sed addiderat, *jocoſo*, ut indicaret, si Mercurius furtum commisisset, id non

(e) Ecl. I. vs. 33.

(f) Ecl. II. vs. 33.

(g) Lib. III. Georg. vs. 384.

(h) L. 7. §. 9. in fine ff. soluto matrimonio.

non animo aliis nocendi factum esse, ast jocandi consilio; Jurisconsulti hac dictione etiam usi sunt, cum noluerunt, maritum contra eam, quæ uxor fuerat, actione furti agere, sed actione rerum amotarum, ut lenirent rem in honorem matrimonii vocabulo honestiore, turpem actionem, ut Gajus ait (a), *adversus uxorem negarunt*; admittitur autem, licet Paulus JCtus id quodammodo neget (b), amotione illa verum furtum, quod ex argumento verborum ipsius Pauli (c) patet, & Tryphoninus id affirmat dicens: *veritate furtum fit, et si mulier lenius coercetur* (d). Hicce itaque locus Horatii optime cum rubro illius Digestorum tituli conferri potest, atque illum a Cl. Noodtio non esse laudatum (e) miror.

Sæpius autem JCti solent res odiosas honesta dictione lenire, ex. gr., liberi non possunt parentes mortuos impietatis erga ipsos accusare, quando illos præterierunt vel injuste exheredarunt, sed de inofficio testamento queri; sic etiam quando liberi contra parentes, liberti contra patronos, famosa actione agere debent, Ulpianus censet: *iis dandam esse actionem, quæ verbis temperetur, scilicet in factum* (f).

§ II.

(a) L. 2. ff. de act. rer. amot.

(b) L. 5. eod.

(c) L. 21. §. 6. eod.

(d) L. 29. eod.

(e) In Comment. ad Tit. ff. de act. rer. amot. Tom. II. Oper. pag. 530.

(f) L. 11. §. 1. ff. de dolo malo. & L. 5. ff. de obseq. parent. & patr. præst.

§ II.

*Hæc ubi locutus fænector Alphius,
Jamjam futurus rusticus;
Omnem relegit idibus pecuniam;
Quærerit kalendis ponere.*

Epondon Oda II. vs. 67—70.

Poëta de idibus & kalendis hic loquitur, nempe usurarum stipulationes, non ut hodie in singulos annos, sed menses solere fieri, ex variis locis patet. Sic Seneca, *quid ista, inquit, sunt, quid fænus & kalendarium & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina* (g); & alii, ita etiam in cautione, quæ apud Paulum legitur, & ipse Paulus (b) & Pomponius (i) de usuris in menses, non in annos singulos loquuntur. Plura autem de hoc loco Horatii vide apud ejus interpres (k).

§ III.

————— *Rapiamus, amici,
Occasionem de die.*

Epondon. Oda XIII. vs. 4 & 5 aliis 3 & 4.

Sic

(g) Lib. VII. de benefic. cap. 7. medio.

(b) L. 40. ff. de reb. credit. & L. 26. §. 1. ff. depos. vel contra.

(i) L. 90. ff. de verbor. obligation.

(k) Torrentigm in edit. Antverp. 1608. pag. 342., Gesnerum in edit. Lips. 1752. pag. 259., hoc loco autem *relegit*, non *redegit* legendum esse docet Heinsius Lib. II. Advers. Cap. 4., contrarium vero J. F. Gronovius Lib. I. Observation. Cap. 19.

Sic etiam Juvenalis:

— — — — *Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis (l).*

Et Dionysius Cato, vel potius distichorum, quibus illud nomen præmittitur, auctor:

Quam primum rapienda tibi occasio prima (m).

Eodem modo Paulus JCtus ait: *Rapienda occasio est, quæ præbet benignum responsum (n); patet itaque versibus Horatii & in verbis Pauli nihil mutandum esse, neque capienda pro rapienda legendum.*

§ IV.

— — — — *Si quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse,
Solventur risu tabule tu missus abibis.*

Lib. II. Sat. I. vs. 84—86.

Teneretur tamen ille, qui, licet integer ipse, laceraverit aliquem dignum opprobriis, actione injuriarum, injuria enim est, si quis ad infamiam alicujus carmen composit (o), dices, nocentem lacerat; atqui Paulus ait, *qui nocentem infamavit, non effe bonum æquum ob eam rem condemnari (p); sed debet tum is*

pro-

(l) Sat. XV. vs. 38 & 39.

(m) Lib. IV. distich. 45.

(n) L. 168. ff. de reg. Jur.

(o) §. I. Inst. de injur.

(p) L. 18. ff. eod.

probare se non convicci consilio, aliquid injuriosum dixisse, acque id secundum rescriptum Diocletiani & Maximiani Imp. (q), atque tum necesse est, ut reipublicæ intersit, scire id, quod protulit, uti voluit Constantinus (r); de his autem quæstionibus videri possunt Cl. Voetius (s) & Brunemannus (t) ad Pandectas, & Perezius ad Codicem (u).

Horatius hoc non de stricto jure, sed ut poëta dixit, vultque indicare, carminis venusti vim tantam esse, ut, licet in contumeliam alterius sit compositum, judex se risu abstinere nequeat, sed tabulas juris solvat, missus abeat poëta.

§ V.

————— *Interdicto buic omne adimat jus
Prætor, & ad sanos abeat tutela propinquos.*

Lib. II. Sat. III. vs. 217. & 218.

Ait Ulpianus: *L. XII. Tabl. prodigo interdicere bonorum admissionem, solere autem prætores exemplo furiosi, cuius curam L. XII. Tabl. ad agnatos transire vult, prodigo curatorem dare (v)*, unde etiam Poëta noster:

*Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati ————— (w).*

Dixit

(q) L. 5. Cod. eod.

(r) L. 3. C. de off. rect. provinc.

(s) Ad Titul. de injur. num. 9. Tom. II. pag. 1017.

(t) Ad L. 18. de injur. pag. mihi 619.

(u) Ad Tit. de injur. num. 5. pag. mihi 639.

(v) L. 1. ff. de Curatorib. furioso.

(w) Lib. I. Epist. I. vs. 102 & 103.

Dixit autem hoc loco tutelam pro cura, non enim prodigus, vel furiosus in tutela, sed in cura esse dicitur (x), num autem tutela sensu juridico sæpius pro cura usurpetur, nescio, procul sensu juridico ita sumi, exemplum invenio apud Gratium:

*Quid dicam tuffis, quid mœsti damna veterni,
Aut incurvatæ, si qua est tutela, podagræ (y).*

Ad quem locum Doctiss. Vlitius laudat Pollucis locum, quem sic interpretatur: *podagra non prouersus incurabilis est* (z), vides tutelam podagræ, pro cura podagræ dici. Licet autem Horatius, certe non inscitiae, sed metri causa, has vocet miscuerit, merito tamen Vinnius dixit, *hoc bene & rationi juris convenierter ab Horatio dictum esse* (a).

§ VI.

*Arrepe officiosus, ut & scribare secundus
Hæres, & si quis casus puerum egerit orco,
In vacuum venias: perraro hæc alea fallit.
Abnuere, & tabulas a te removere memento:
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu, multisne cohæres,
Veloci percurre oculo. — — —*

Lib. II. Sat. V. vs. 49 & 50, 52—55.

Poëta,

(x) §. 3. Inst. de Curator.

(y) In Cynegetico vs. 477 & 478.

(z) In Venatione Novantiqua pag. mihi 291. Edit. Elzevirianæ an. 1645.

(a) Ad § 3. Inst. de curator. num. 1.

Poëta, hic insidjatores & captatores testamentorum describens, mentionem facit substitutionum vulgarium & pupillarium, substitutio vulgaris intelligitur illis verbis: *ut scribare secundus hæres*, est enim substitutio secundi vel ulterioris gradus hæredis institutio (*b*), substitutionem autem pupillarem Poëta his indicare videtur, *& in vacuum venias, si quis casus puerum egerit orco*, substitutio enim pupillaris, est patris liberis impuberibus, quos proximo gradu mortis tempore in potestate habet, in casum secundum seu pupillarem, si hæres erit & intra pubertatem decesserit, institutio (*c*), ut ipse ait; *si quis casus puerum egerit orco*, id est, si casu quodam puer, scilicet ante pubertatem, mortuus erit; ita *dimittere orco apud Maronem pro interficere* (*d*), orcus enim pro inferis usurpatur, unde liberti, quorum patroni in inferis sunt, *orcini dicuntur* (*e*).

Poëta præterea monet, ut, *si testamentum tibi tradatur, limis oculis inspicias, quid prima cera secundo versu volit, solus, an multis cohæres scriptus sis*; Romani enim ceratis tabulis inscribere solebant, quod vide apud Hugonem (*f*), unde Marcianus Jctus dicit *tabulas cereas* (*g*); testamenti tabulas in primam, secundam

&

(*b*) L. I. pr. ff. de vulg. subst.

(*c*) L. 8. Cod. de impub. & aliis subst.

(*d*) L. IX. Æneid. vs. 527.

(*e*) L. 10. C. de testam. manumiss.

(*f*) De prima scribendi origine cap. X. pag. mihi 81 seq. & ad eum Trotzium:

(*g*) L. I. § 4. ff. ad L. Cornel. de falsis.

& tertiam sive ultimam ceram dividebant, ut etiam apud Suetonium legitur (*b*); Lambinus ad hunc locum dicit nomen testatoris primo, hæredis secundo versu scribi solere, unde hic de secundo loquitur non autem hic aliam, quam primam ceram, in qua hæredum institutorum nomina legebantur, mentionem facit, non de substitutione pupillari in ima cera, secundum optimum Justiniani consilium (*i*), scripta.

§ VII.

*Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc & lite moraris iniqua.*

Lib. II. Ep. II. vs. 18 & 19.

Elegantissime Horatius suam scribendi negligentiam apud Iulium Florum defendit: *Mango, ait, servum vendit, antequam autem contractum ineat, vitia servi emptori non dissimulat, sed aperte prodit, emptor tamen servum emit, prudens itaque, id est sciens, minime ignarus, quia antea monitus vitiosum emit, insequitur hunc & lite moratur, sed iniqua lite, lex enim, id est pactum, (pacta enim dant legem contractui) dicta est; pergit Poëta, tibi quoque Flore proficisci me pigrum, talibus officiis prope mancum dixi, ne sœvus jurgares, quod nulla ad te epistola veniret, sed quid profeci? nibili, quæ dixi, æstimas, negligentiam tamen quereris, an non æque prave, ac emptor dolum mangonis insontis queritur.* Pulcherrima certe comparatio & Jurisprudentiæ conveniens sententia.

(*b*) In Cæsare cap. LXXXIII. Nerone cap. XVII.

(*i*) §. 3. Inst. de Pupill. sub,

tentia, tali enim emptori actio non datur, remittentibus enim actiones suas non est regressus dandus, standum itaque est, teste Ul piano (k), eo, quod convenit, se venditor ante exceperit morbum servi, si autem venditor sciens morbum reticuisse, danda esset de dolo malo replicatio.

§ VIII.

*Si proprium, quod quis libra mercatur ē aere,
Quædam (si credis consultis) mancipat usus.*

Lib. II. Epist. II. vs. 158 & 159.

Sic, ubi dominium acquisitum, proprietas acquisita dicitur, ut Neratius JCtus ait, si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine, dominium mihi, id est proprietas, acquiritur etiam ignorantie (l). Usus quædam ex sententia JCtorum mancipat, ait Horatius, respiciens ad usucaponem, mancipari autem est mancípio ac legitimo jure acquiri, idque contra naturæ æquitatem, neminem enim cum alterius detrimento locupletari natura æquum est, ut Pomponius ait (m).

§ IX.

*Romani pueri longis rationibus assēm
Discunt, in partes centum dīducere: dicat.
Filius Albini, si de quincunce remota est.
Uncia: quid superat? poteras dixisse, Triens: —
Redit:*

(k) L. 14. §. 9. ff. de Edilit. edicto.

(l) L. 13. pr. ff. de acquir. rer. dom.

(m) L. 14. ff. de condit. indeb.

Redit uncia, quid sit?

Semis.

In *Arte Poëtica* vs. 325—330.

Horatius loquitur de asse, quem quoque Ulpianus (n), & Tribonianus (o) memorant: Hereditas plerumque, dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur; sed hæc tantum est solemnis divisio, paterfamilias enim, ut Ulpianus alibi (p) ait, distribuere hereditatem in tot partes potest, quot voluerit, indeque Poëta de divisione in centum partes loquitur, singulæ autem partes in uncias divisæ, propria nomina ab unciis habent: puta hæc: *sextans*, *quadrans*, *triens*, *quincunx*, *semis*, *Septunx*, *bis*, *dodrans*, *dextans*, *deunx*, *as* (q).

Unde hic mentio fit quincuncis, id est: quinque unciarum, hinc si removeatur uncia, restat triens, id est: quatuor unciae, huc autem si redeat uncia, fit semis, id est sex unciae; de quibus plura apud Interpretes.

(n) L. 50. §. 2. ff. de hered. instit.

(o) §. 5. inst. eod.

(p) L. 13. §. 1. ff. eod.

(q) L. 50. §. 2. ff. eod. & §. 5. inst. eod.

C A P U T III.

*Ex Ovidio, Phædro, Persio, Lucano
& Silio Italico.*

§ I.

*Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.*

Ovidius Lib. I. Fastor. vs. 27, 28, 35 & 36.

Poëta loquitur de tempore, quo vidua maritum lugere debebat, quod olim decem menses, quibus tunc annus absolvebatur, suisse narrat; sed postea illud tempus induodecim menses, idque integrum novi anni spatium, mutatum est, constituentibus, Gratiano, Valentiano & Theodosio Imperatoribus, hisce verbis: *siqua ex feminis, perditu marito, intra anni spatium alteri festinaverit nubere (parvum enim tempus post decem menses servandum adjicimus: tametsi id ipsum exiguum putemus) probrosis injustis notis honestioris nobilisque personæ decore & jure privetur (r).*

§ II.

*Quippe relegatus, non exsul, dicor in illo:
Parcaque fortunæ sunt data verba meæ.
Lib. II. Tristium vs. 137 & 138.*

Hoc

(r) L. 2. C. de secund. Nuptiis.

Hoc modo saltem in vulgarius editionibus legitur, aliter tamen Burmannus aliter rursus doctissimus Wolbers, qui hic conferri meretur (s).

Sic etiam Poëta eleganter alibi canit:

*Fallitur iste tamen, quo judice nominor exsul.
Mollior est culpam pœna secuta meam.
Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Ipse relegati non exsulis utitur in me
Nomine — — — — (t).*

Ovidius non exsul, sed relegatus dici voluit, exsulis itaque nomine pro deportato utitur; relegatio autem proprie secunda species exsiliī est, uti ex Marciani Jcti verbis (v) patet, quæ sic legenda esse Noodtius docet: *exsiliū duplex est, aut certorum locorum interdictio, ut lata fuga, aut omnium locorum præter certum locum, ut insulæ vinculum, id est relegatio in insulam (w)*; Et sic quidem ipse Naso eo sensu se exsulem pœnamque suam exsiliū vocavit; uti:

*Vade, sed incultus, qualem decet exsulis esse,
Infelix habitum temporis bujus habe (x).*

Et

(s) Observation. cap. X.

(t) Lib. V. Trist. Eleg. XI. vs. 9, 10, 15, 16, 21 & 22.

(v) L. 5. ff. de interdict. & relegat. & deport.

(w) Lib. III. Probabil. cap. 3. Tom. I. oper. pag. 58 & 59.

(x) Lib. I. Trist. El. I. vs. 3 & 4.

Et alibi; exsiliū quoque ab Ulpiano pro relegatione sumitur, hisce verbis; *si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit, eam in exsiliū præses provinciæ exiget (y);* ibi enim deportationem intelligi non posse patet, quia hoc crimen, Marciano (z) & Tryphonino testibus (a), temporali exilio puniendum est, *deportatio autem, testante Ulpiano (b), semper est in perpetuum,* idque, quia deportatio mortem civilem infligat, neque quis magis civiliter, quam naturaliter, bis mori potest; præterea præses provinciæ, qui eam in exsiliū exigere, neminem, nisi ex approbatione principis, in insulam deportare potuit (c); in insulam autem, si modo talem, quæ sub ejus potestate est, designat, teste Ulpiano (d), aliquem relegare potest: si vero exsulem nominas deportatum, Ovidius merito, se relegatum dici, maluit, deportatio enim, quæ, teste Ulpiano (e), *in aquæ & ignis interdictionem successit, civitatem & bona adimit;* *relegatio neutrum tollit,* ut idem Ulpianus ait (f), imo, Marciano testante, *relegati liberos in potestate retinent (g),*

etiam

(y) L. 8. ff. ad. L. Cornel. de Sicariis.

(z) L. 4. ff. de extraord. crimin.

(a) L. 39. ff. de pœnis.

(b) L. 7. §. 2. ff. de interd. & releg.

(c) L. 1. § 3. ff. de Legat. III., L. 2. §. 1. ff. de pœnis & L. 6. §. 1. ff. de interdict. & releg.

(d) L. 7. §. 1 & 6. ff. eod. tit.

(e) L. 3. ff. ad L. Julianam peculat.

(f) L. 14. ff. de interd. & relegat.

(g) L. 4. ff. eod.

etiam liberi relegati in parentum potestate manent (b), Gajus quoque, testamenti faciendi jus illis non adimi, docet (i), merito itaque Poëta dixit, sibi nec vitam, nec opes nec jus civis ademta esse.

§ III.

*Fraudator nomen quam locat sponsu improbo,
Non rem expedire, sed mala videre expetit.*

Phædrus Lib. I. Fabula XVI. vs. 1 & 2.

Hunc locum doctissimus Wieling optime ex jure illustravit (k); scilicet *locare nomen* putat significare *nomen suum commodare, pro altero obligare*, quod per solemnem sponsionem fiebat, ideoque etiam sponsus mentio fit, verba itaque de creditore accipit.

§ IV.

— — — — *Quid facies tibi,
Injuriae, qui addideris contumeliam.*

Lib. V. Fabul. III. vs. 4 & 5.

Musca momorderat calvi caput, quam opprimere cupiens, alepam sibi duxit gravem, musca ei respondet: punctum volucris parvulae voluisti morte ulcisi, quid tibi facies, qui injuriae addideris contumeliam; distinguitur itaque hic injuria a contumelia; Ulpianus autem ait, *injuriam specialiter dici contumeliam*.

tume-

(b) § 2. Inst. quib. mod. jus potestat. solvitur.

(i) L. 8. §. 3. ff. qui testam. facere poss.

(k) In lectionib. Jur. Civil. Lib. I. cap. 15. pag. 83—85. edit. Traject. 1740.

tumeliam (*l*), Tribonianus docet, *eam non solum, cum quis pugno pulsatus, sed etiam si cui convicium factum fuerit, fieri* (*m*), Gronovius, in notis ad dictum locum Apologographi nostri, putat injuriam referri ad dolorem iactus, contumeliam ad turpitudinem; posset quoque distingui, quod injuria sit omne id, quod sit sine jure, contumelia vero proprie dicta injuria, ut ex locis allegatis patet. Optime autem Burmannus hunc locum explicavit (*n*).

§ V.

*Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, avidos pergent sudare deunces.*

Persius Sat. V. vs. 149—150.

Satyrographus ait, quid petis? vis nempe pecuniam majore cum quæstu exercere, solebas quinos pro centenis luci facere, sed id avaritiæ tuæ non sufficit, jam undenos pro centenis nummis ad sortem cupis adjicere.

*Quincuncem modestum nominat, id est mediocrem usuram, idque merito; proponuntur enim quincunces semper a JCtis, ut solita usura; uti apud Paulum (*o*) & Ulpianum (*p*); nummos autem*

de-

(*l*) L. I. pr. ff. de injur.

(*m*) § I. Inst. eod. Tit.

(*n*) In commentario ad hunc locum, ubi verba de Calvinio & monita ad literarum sacrarum studiosos notatu digna sunt.

(*o*) L. 17. pr. ff. de usur. & fructib.

(*p*) L. 7. §. 10. ff. de administr. & peric. tutor.

deunces, id est undecim uncias, sudare dixit, ut opponeret, usuriis quincuncibus, quæ sine ullo labore proveniebant.

§ VI.

*Illos terra fugit dominos : bis rura colonis
Accedunt, donante Pado.*

Lucanus Lib. VI. vs. 277. & 278.

Poëta hæc optime dixit, & convenient fere cum verbis Pomponii JCti: *flumina censitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum addicant, & ex publico in privatum* (q). Ager enim, quem occupat fluvius & alveum facit, fit publicus (r), adde etiam Gajum JCtum (s); contra alveum, quem linquit fluvius, privatum reddit, & fit eorum, qui prope ripam prædia possident (t), nisi limitatus sit ager, tunc enim fit alveus occupantis (v), terra itaque fluvio occupata dominos fugit, rura, quæ olim fluvii alveus erant, nunc a fluvio relicta, accedunt colonis.

§ VII.

*— — — Mananti sanguine signat
In clypeo mandata patris: Fuge prælia Varro.*

Silius Italicus Lib. IX. vs. 174 & 175.

Eodem

(q) L. 30. §. 3. ff. de acquir. rer. domin.

(r) §. 23. Inst. de rer. divisi.

(s) L. I. § 7. ff. de fluminib.

(t) L. 7. ff. § 5. de acquir. rer. domin. & § 23. Inst. de rer. divisi.

(v) L. I. §. 7. ff. de fluminib.

Eodem modo militis morientis litterisque sanguine suo scriptis hostibus direptam victoriam in sinum patriæ referentis exemplum Valerius Maximus profert (w).

Si quis autem miles testamentum in vagina aut clypeo litteris, sanguine suo rutilantibus, adnotaverit sub ipso tempore, quo in prælio vite sortem derelinquit, Constantinus Imp. ait, stabile esse operari bujusmodi instrumentum (x); unde etiam G. Nicols versificator Anglo-Britannus canit:

*Quæ daret in clypeo moriturus sanguine miles,
Hæc prisæ leges scripta valere jubent (y).*



C A P U T V.

*Ex Juvenali, Martiale, Ausonio
& Claudio.*

§. I.

*Collige sarcinulas dicet libertus & exi:
Juvenalis Sat. VI. vs. 147.*

*Satyrographus loquitur de divertio, quod per vocem liberti
fiebat*

(w) Lib. III. cap. 2. exempl. extern. 4.

(x) L. 15. C. de testamento milit.

(y) In carmine de Litteris Inventis Lib. III. num. 7. pag. mihi 60. edit.

siebat, qui uxori nunciabat, ut colligeret sarcinulas, & exiret; talē libertum in divortiis semper fuisse adhibitum patet ex verbis Pauli JCti dicentis: *nullum divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis puberibus adhibitis, præter libertum ejus, qui divortium faciet (a).*

§ II.

— — — — — *Nam codice sœvo
Hæredes vetat esse suos — — —*

Sat. X. vs. 236 & 237.

Juvenalis codicem pro testamento dixit, certe, quia *codicibus scribi solitum erat*, ut Justinianus ait: *sed & unum testamentum pluribus codicibus confidere quis potest (b)*, ubi tamen Grangæus ad hunc locum Juvenalis male ait: *Justinianum codice pro testamento uti*, tum enim Imperator dixisset unum testamentum pluribus testamentis confici posse, quod absurdum; *lignum vero apud Tryphoninum JCtum pro testamento usurpatum (c)*, testamentum nimirum tanquam magis solemne instrumentum *codex* dicitur, *codicillus* diminutivo nomine appellatur; codicillus enim est declaratio voluntatis testati vel intestati minus solemnis, ideoque a brevioribus tabulis, quibus inscribi solebant codicilli dicti; referri hoc quoque potest illud dictum Senecæ: *plurium tabularum*

CON-

(a) L. un. ff. ad L. Jul. de ambitu.

(b) § 13. Inst. de testam. ordin.

(c) L. 16. ff. de bon. posse. contra tab.

contextus caudex apud anticos vocabatur: unde publicæ tabule codices dicuntur (d).

§ III.

*Dicere vix possis, quam multi talia plorent,
Et quot venales injuria fecerit agros.*

Sat. XIV. vs. & 151 152.

Poëta hic agit de avaro, cui melior semper, majorque vicina seges videtur, qui ideo mercari & hanc cupit, sed dominus illius agri nullo pretio vincitur, neque agrum vult tradere, avarus, ut eum cogat, nocte mittit boves suos macros lassoque collo famelicos ad virides hujus aristas, neque inde prius domum redeunt, quam tota novalia in saevos abeant ventres, ut credas falcibus actum, hoc facinus avari injuriam vicino illatam merito nominat, non enim talis homo actionem directam ex lege Aquilia haberet, *de bis enim, quæ per injuriam (ajunt Impp. Diocletianus & Maximianus) depastra contendis (e), ex sententia legis Aquilia agere minime probiberis, ubi autem ex verbis legis actio non procedit, agendum est actione injuriarum (f); infactum itaque hoc casu (inquit Ulpianus) erit agendum (g).*

§ IV.

*Quod Cajetano reddis Polycarme tabellas,
Millia te centum num tribuisse putas?*

Debuit

(d) *De Brevitate vitæ* cap. XIII. medio.

(e) § 6. C. de Lege Aquilia.

(f) L. 27. § 17. ff. ad L. Aquiliam.

(g) L. 14. § 3. ff. de præscript. verb.

*Debuit hæc, inquis; tibi habe Polycarme tabellas,
Et Cajetano millia crede tuo.*

Martialis Lib. VIII. Epigr. 36.

Polycarmus creditor Cajetani debitum centum milium fester-
tiorum, reddendo chirographum, quo Cajetanus debitum agno-
verat, remiserat, Martialis rogat, num Polycarmus putaret,
se hanc sumمام Cajetano tribuisse? affirmat ille, debuit enim in-
quiens, respondet Martialis, tibi Polycarme habe illud chiro-
graphum, quo nimurum nihil unquam debiti recuperabis, & Ca-
jetano millia tantum crede: idem jocus Poëtæ ad Phœbum le-
gitur:

*Quadringtonorum redditis mibi, Phœbe, tabellas,
Centum da potius mutua, Phœbe, mibi.
Quære alium, cui te tam vano nomine jactes:
Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est (b).*

Malle se, ait, Phœbum sibi mutua dare centum, quam red-
dere chirographum quadringtonorum, quod enim solvere non
poterat, suum esse, affirmat; & hæc, quæ de remissione debiti
reddendo chirographo narrat, juridice dixit, ait enim Paulus
JCTus, si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos con-
venisse, ne peterem (i); & Julianus docet, hujusmodi conditionem,
si tabulas chirograpi mei heredi meo reddiderit, hanc vim habere, si
heredem meum debito liberaverit (k).

S V.

(b) Lib. IX. Epigr. 105.

(i) L. 2. § 1. de pactis.

(k) L. 48. § 7. ff. de Legatis primo.

§ V.

Fur luscus soleas surripit ipse suas.

Lib. VIII. Epigr. 58. vs. ult.

Martialis hæc jocose dixit, non enim rei suæ furtum fieri potest; dici posset, qui pignus, quod dedit creditori, surripit, committit furtum, pignus autem ejus est, ergo furtum rei suæ committit, sed committit furtum possessionis, quæ est creditoris; ita quoque, qui rem suam, cuius usumfructum alias habet, usufructuario surripit, unusfructus, non rei furtum committit; sed adhuc argumentari quis posset, ex verbis Diocletiani & Maximiani Impp., *servum fugitivum sui furtum facere* (*l*), sed servus fugitivus se quidem surripit, ut Statius alio sensu ad Marcellum scribebat:

— — — — — *Exue curis*

Pectus & affiduo temet furare labori (*m*).

Sed non se sibi, ast se domino surripit, servus enim est res domini, non res propria; nullum itaque furtum rei suæ esse potest, & sic in definitione addendum, furtum est contrectatio rei alienæ lucri faciendi gratia facta.

§ VI.

(*l*) L. I. Cod. de serv. fugitiv.

(*m*) Lib. IV. Silvar. Carmine IV. vs. 28 & 29.

§ VI.

*Omnis habet sua dona dies, nec linea dives,
Cessat, & in populum multa rapina cadit:
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis,
Nunc dat spectatas tessara larga feras.*

Ibid. Epigr. 77. vs. 7—10.

Hic Poëta de missilibus loquitur, quorum etiam Statius memorat, quæque imbræ vocat, canens:

*Ducat nubila Jupiter per orbem,
Et latis pluvias minetur agris.*

Dum nostri Jovis hi ferantur imbræ (n).

Suetonius de missilibus Augusti (o), Caligulæ (p), Neronis (q) & Domitianæ (r) Imp. loquitur; de hisce missilibus, atque eorum mirifica imo stupenda opulentia legi meretur Justus Lipsius, vir ille penitus eruditus (s); Justinianus quoque de illis ait, voluntatem domini in incertam personam collatam interdum transferre rei proprietatem, veluti in missilibus, quæ jacant prætores & consules, volunt, quod quisque acceperit ejus esse, ignorant tamen quid eorum.

(n) Lib. V. Silvar. Carm. VI. 25—27.

(o) In Augusto Cap. XCVIII.

(p) In Caligula Cap. XVIII.

(q) In Nerone Cap. XI.

(r) In Domit. Cap. IV.

(s) Lib. II. de magnitud. Romana Cap. 11—14. pag. mihi 727—739.
Tom. III. Oper. edition. Vesaliens. 1675. in 8.

corum quisque sit accepturus (t); sparsiones autem pecuniae, a consulibus factas, postea Theodosius & Valentianus Imp. vetuerunt, dicentes: cessante ista spargendi vilitate amplissimi consules procedentes deinceps abstineant hoc errore perdendi, optimo consilio operi necessario proficiat, quod erat incompetenter projiciendum; quae lex in Codicem Justiniani relata est (u); de hisce autem missilibus G. Majansii disputatio (v) & Consult. C. L. Wessenfeldii diatribe Antiquario- Juridica inauguralis (w) legi merentur. Ab hac autem missilium jactatione omnino distinguendae sunt croci sparsiones in theatro, quarum Martialis quoque mentionem facit:

Et Cilices nimbis hic maduere suis (x).

Cilices populi Asiae minoris præstantissimum crocum habebant, quem tritum vino dulci miscebant, atque eo Romæ theatra aspergebantur; nimbos autem & missilium & croci in theatro sparsiones nominat, de his alibi quoque canit:

*Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco (z).*

§ VII.

(t) § 46. Inst. de ter. divisi.

(u) L. 2. C. de Consul. & non Spargend. ab his. cet. Lib. XII. tit. 3.

(v) In Disputationibus Juris Disput. XV. Tom. I. pag. 295.

(w) Quæ die 31. Martii. 1744. Trajecti Publico Examini exposita est.

(x) Lib. Spectacul. Ep. III. vs. 8.

(y) Lib. V. Ep. 26. vs. 7. & 8.

§ VII.

*Vitam, quæ faciant beatorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt;
Res non paria labore, sed relicta.*

Lib. X. Epigr. 47. vs. 1 — 3.

Res relicta est res a defuncto testamento vel codicillis data, ut etiam a JCtis usurpatur, sic ait Marciānus: *si quid relictum est civitatibus omne valet* (z), & Ulpianus de eo, qui bonis cessit, dicit: *si quid misericordiæ causa fuerit relictum, puta menstruum vel annum alimentorum nomine, non oportere propter hoc bona ejus iterato vendi* (a).

§ VIII.

*Justa quidem series patri succedere: verum
Esse simul dominos gratior ordo piis.*

Ausonius Edyll. III. vs. 5 & 6.

Ausonius ait justam quidem seriem esse filium patri succedere; hæc secundum rationem non civilem; sed naturalem, sic quoque Paulus loquitur, *de liberorum in bonis parentum debita successione* (b), naturaliter enim pater & filius sunt duæ personæ, & filius itaque patri mortuo succedit, licet jure civili pro una persona habeantur (c), unde filii vivo etiam patre quodammodo domini existi-

(z) L. 117 ff de legat. I.

(a) L. 6 ff de cessione honor.

(b) L. 7. pr. ff. de bonis damnator.

(c) L. II. C. de impub. & alijs subst.

existimantur testibus Paulo (d) & Justiniano Imp. (e), eaque causa est, cur Ausonius dicat, ipsos simul esse dominos, unde etiam filii non dicuntur *adire hereditatem parentum*, sed *immiscere se hereditati*, testante Ulpiano (f), *non enim novam hereditatem, sed magis liberam* (ut ait Paulus) *bonorum administrationem consequi* (g), ideoque non, ut alii, heredes simpliciter vocabantur, sed *sui heredes* (h), quo etiam referas, velim, locum Juvenalis supra laudatum (i), Laetantius, vel potius incertus auctor carminis, quod inscribitur Phœnix, illud eleganter Phœnici suo accommodavit, canens:

*Ipsa sibi proles, fuis est pater, & suis heres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi (k).*

Galvanus de hac materia docte & multa scripsit (l), quo cum jungi posunt doct. Voorda (m) & G. D'Arnaud (n).

§. IX.

*Juris idem tribus est, quod ter tribus omnis in istis
Forma hominis incipit, plenique exactio partus.*

Jus

(d) L. II. ff. de liber. & postum.

(e) § 2. Inst. de hered. qual. & differ.

(f) L. 6. §. 5. ff. de acquir. vel. omitt. hered.

(g) L. II. ff. de liber. & postum.

(h) L. I. §. 4. de suis. & legit. heredib. & innumeris aliis locis.

(i) Hoc capite § 2.

(k) Vs. 167. & 168.

(l) de Usufructu Cap. VIII.

(m) Interpretation & emendation. Lib. I. Cap. 4.

(n) Variar. Conjecturar. Lib. I. Cap. 25.

*Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum & populi commune, quod usquam eſt.
Triples libertas, capitisque minutio triplex.*

Edyll. XI. vs. 4, 5, 61, 62, & 65.

Varia, quæ trium numero continentur, hic enumerantur, inter alia hæc ex jure desumpta; primo: tempus legitimi partus humani ter tribus, novem itaque, mensibus coarctatum esse, quod Ulpianus JCtus statim falsi arguet (o), quippe qui intra decem menses statuit, de his autem egimus; secundo: jus quod tabulæ ter quaternæ, nimirum Lex. XII. tabl., statuerunt, esse triplex Publicum, Sacrum & Privatum; sed huic sententiæ rursus contradicere videtur Ulpianus, dicens: *bujus studii positiones sunt due: Publicum & Privatum (p)*, sed rursus jus publicum in sacris, sacerdotibus & magistratibus consistere addit, non itaque Ausonius adeo fallitur, sed tantum subdivisionem pro divisione primaria sumvit; tertio: libertatem esse triplicem, scilicet, naturæ civitatis & familiæ, potest autem etiam dividi libertatem esse duplicem publicam civitatis, privatam familiæ, quarto deinde addit, triplicem esse capitis deminutionem, scilicet, maximam libertatis, medium civitatis, minimam familiæ, & hæc quoque Paulus JCtus (q) & Justinianus Imp. (r) statuant, atque ex verbis Ulpiani (s) colligi potest, eaque est vulgaris divi-

(o) L. 3. §. 11. ff. de suis & legit hered.

(p) L. 1. §. 2. ff. de justit. & jure.

(q) L. 11. ff. de cap. minut.

(r) Pr. Inst. de. cap. demin.

(s) L. 63. §. 10. ff. pro socie.

divisio, de duplice autem tantum capitis deminutione magna & & minore Ulpianus loquitur (*t*), & tunc ita dividitur, partim esse naturalem, partim civilem, naturalem esse, quando libertas amittitur, civilem duplicem, civitatis amissionem eamque publicam familiæ amissionem eamque privatam.

§ X.

— — — — — *Discrimina quædam*
Sunt famulis, splendorque suis maculamque minorem
Conditionis habet, domino qui vixerit uno.

Claudianus Lib. I. in Eutrop. vs. 29—31.

Discrimen quoddam inter servos esse Claudianus affirmat, exemplum proferens, maculam conditionis ejus, qui uno domino vixerit, esse minorem, idem colligi potest ex verbis Ulpiani JCti (*u*), dicentis: *usufructuarium mancipio ususfructus legato non debere abuti, sed secundum conditionem uti, eumque, qui librarium rus mittat, & qualum & calcem portare cogat, bistrionem balneatorem faciat, vel de symphonia atrensem, vel de palestra stercorandis latrinis præponat, videri abuti proprietate;* & ex verbis Venuleii JCti (*v*), de servis veteratoribus & noviciis loquentis, *noviciumque non terocinio animi, sed conditione servitutis intelligi, affirmans, nec ad rem pertinere, latine sciat, nec ne, nam nec ob id veteratorem esse, si liberalibus studiis eruditus sit.*

Hac

(*t*) L. I. §. 4. ff. de suis & legit. heredib.

(*u*) L. 15. §. 1. ff. de usufructu & quamadmod.

(*v*) L. 65. §. 2. ff. de ædilit. edicto.

Hac de re etiam agit Cl. E. Otto in commentario ad Institu-
tiones (w).

Hoc autem non, nisi ex arbitrio dominorum profluit, qui
unum, majore clementia & munere remunerant, quam alium,
Marcianus enim ait (x), *servorum unam esse conditionem*, &
Justinianus affirmat (y), *nullam esse differentiam in conditione ser-*
vorum; servi nimis omnes, testante Ulpiano (z), jure civile
pro nullis habentur, unde etiam homines non personæ in liberos &
servos dividuntur, servis enim jure naturæ liberis hominibus sunt
pares, licet mulier apud Juvenalem roget: ita servus homo est (a)?

(w) Ad. §. 5. Institut. de jure personar.

(x) L. 5. pr. ff. de statu hominum.

(y) §. 5. Inst. de jure personarum.

(z) L. 32. ff. de regul. jur.

(a) Sat. VI. vs. 223., videatur etiam de hoc loco Otto ad pr. Inst.
de jure personar. & J. G. Eistor in specimine antiquit. Jurispr. illustrant.
ad tit. V. Lib. I. de statu homin. §. 300. & seqq.



PARTIS ALTERIUS

SECTIO TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

Ex Plauto & Terentio.

§ I.

Quid vis fieri? factum est illud, fieri infectum non potest.

Plautus in Aulular. A. IV. S. X. vs. 13.

Versus hic, uti etiam ille:

: Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possit (a).

Admodum convenient cum dictis Demiphonis senis apud Terentium, Nausistratæ, roganti: an merito meo hoc factum videtur, respondentis:

*— — — Minime gentium
Verum, quando jam accusando fieri infectum non potest,
Ignosce. — — — — — (b).*

Ex

(a) In Captiv. A. V. SIII. vs. 19.

(b) In Phormione A. V. S. VIII. vs. 44. & 45.

Ex hisce Comicorum sententiis forsan Tryphoninus Jctus
hæc defumfit: *Fætti autem causæ infæctæ nulla constitutione fieri
possunt (c).*

§ II.

— — — — — *Meus rex est potitus hostium.*

In *Captiv.* A. I. S. I. vs. 24.

Ergasilus parasitus hic ait, regem hostium potitum esse,
non autem significat (ut solet) hostes in potestatem regis re-
dactos esse, sed regem in hostium potestatem decidisse, ut
Gronovius hunc locum egregie explicavit (d), de quo etiam agit
Sanctius (e), & in notis ad ejus librum dicitur Perizonius (f).
Idem genus loquendi Jcti amarunt, sic Papinianus ait: *filium
familias exinde sui juris fuisse videri, ex quo pater hostium potitus
est (g);* hic multa consarcinare supervacuum foret, viri docti-
simi A. Alciatus (h), G. Regius (i), Scipio Gentilis (k), B.
Bris-

(c) L. 12. §. 2. ff. de captiv. & postliminio.

(d) In Lectionib. Plautin. , ad hanc Plauti fabulam §. IV. pag. 66.

(e) Videatur ejus *Minerva seu commentarius de causis linguae Latinae.* Lib.
III. Cap. 3.

(f) Ad hunc locum pag. 371. & 372. edit. Amstel. 1714.

(g) L. 11. pr. ff. de captiv. & postlimin.

(h) Parergor. Juris Lib. I Cap. 35. Tom. IV. Oper. pag. 262. edit.
Francofurt. 1617. in fol.

(i) Lib. II. Ἰαντριοφάνης Jur. Civil. Cap. 20. Tom. II. Thesauri Juris
Ottonis. pag. 1509.

(k) Lib. I. Parergor. Cap. 42.

Brissonius (*l*) hanc dicendi formulam multis verbis illustrarunt,
quos indicasse sufficiet.

§ III.

— — — — — Ch. *Dos Pamphile est*

Decem talenta. Pe. Accipio. — — —

Terentius in Andria A. V. S. V. vs. 47 & 48.

Invenitur hic solemnis dotis dictio, sic quoque Chremes apud
nostrum Comicum:

— — — — — *Cur non arcessi jubes*
Filiam, ut, quod dotis dixi, firmes (m). — — —

Et Ovidius hoc respicit:

Si vir es i dictas exige dotis opes (n).

Loco autem nostro Pamphilus apte respondet, *datum enim vi-
deri non potest, quod non est acceptum*, ut adnotat Donatus, quod
jure nostro quoque verum est, *donatarius rei donatæ dominus non
fit, si nescit rem sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit*, ut
ait Paulus (*o*); dos autem datur (*p*), vel promittitur vel lega-
tur (*q*); promittitur tribus modis, vel stipulatione vel solemní
dotis dictione, vel simplici pactione, a lege tamen ita confir-
mata,

(*l*) De verbis significat. ad vocem *Potiri.*

(*m*) In *Heautontim.* A. V. S. V. vs. 3. & 4.

(*n*) *Lib. VI. Faſtor.* vs. 594.

(*o*) *L. 10 ff. de donat.*

(*p*) *L. 58. §. 1. L. 77. de jure dotium.*

(*q*) *L. 29. eod.*

mata, ut inde ad exemplum stipulationis efficax actio detur (*r*),
vide plura a Doctiss. Galvano congesta (*s*).

§. IV.

Jus summum, saepe summa malitia est.

In *Heautontim.* A. IV. S. V. vs. 49.

Optime hæc Syrus servus dixit, atque verborum illorum Menandri, quæ in fragmento ejus quoque ad eandem fabulam relata, & sic ab interprete Latine reddita sunt: *pulcra res admodum leges sunt, sed respiciens leges nimis accurate, calumniator mibi videtur* (*t*), sensum expressissime videtur, quibuscum non male convenient, quæ Paulus JCtus, aliquem respondisse, narrat, scilicet: *non oportere jus civile calumniari, neque verba captari, sed, qua mente quid diceretur, animadvertere convenire* (*u*); quo etiam dictum Modestini JCti referri potest: *Nulla juris ratio, aut æQUITATIS benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione, contra ipsorum commodum, producamus ad severitatem* (*v*); atque a Tuldeno explicatur (*w*).

§. V.

(*r*) L. 6. C. de dotis promiss.

(*s*) *De Usufructu Cap. XV. n. 4.* pag. mihi 153 & 154.

(*t*) *Fragm. ex Heautontim. VI. editionis,* quæ cum notis Grotii & Clerici Amstel. 1709 prodiit, pag. 56 & 57.

(*u*) L. 19. ff. ad exhibendum.

(*v*) L. 25. ff. de legib.

(*w*) *Lib. III, de Jurisprud. Extempor. cap. 16.* pag. 461 & 462,

§ V.

— — — — — *Ego meum jus persequar;
Neque tu verbis solves unquam, quod mi re male feceris.*

In *Adelphis* A. II. S. I. vs. 9. & 10.

Conveniunt hæc lenonis verba cum Celsi definitione actionis: *est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur* (x). Cum itaque Sannio Æschino ædibus ipsius vim inferenti minatur, se ius suum persecuturum esse, idem est, ac si diceret: actionem contracte movebo; quæstiones autem JCtorum, quid per vocem *jus* in hac definitione intelligatur, ne crambem centies repetitam offeram, omitto.

§ VI.

*Servum hominem causam orare leges non finunt,
Neque testimonii dictio est.* — — — — —

In *Phormione* A. II. S. I. vs. 61. & 62.

Optime Geta servus ait: servo non esse testimonii dictio, id enim legibus prohibetur (y), *si autem alia probatio ad veritatem deficit, eorum responsioni credendum est*, Modestino (z) & Hermogenianio (a) JCtis docentibus, & Severo & Antonino Impp. idem rescribentibus (b).

§ VII.

(x) L. 51. ff. de oblig. & act. quam definitionem Tribonianus repetit in Inst. pr. de action.

(y) L. 11. & authent. C. si testis, de testib.

(z) L. 7. ff. de testib.

(a) L. 53. ff. de Judic.

(b) L. 1. C. de quæstionib.

§ VII.

*Sin est, ut aliter tua siet sententia,
Accipias puerum. —*

In *Hecyra* A. IV. S. IV. vs. 15. & 16.

Phidippus, cuius filiam Philumenam Pamphilus uxorem duxerat, quæ puerum ipepererat, cuius pater Pamphilus habebatur, hic Pamphilo dicit, se velle, affinitatem inter se & Pamphilum esse perpetuam, scilicet Pamphilum uxorem Philumenam non repudiare, sin autem Pamphilus divortium faceret, ei tum esse accipiendum puerum; id juridice, pueri enim ex justis nuptiis procreati patrem, liberi vero vulgo quæsiti matrem sequuntur, ut Celsus (*c*) & Ulpianus (*d*) Jcti testantur.



C A P U T II.

Ex Tibullo & Virgilio.

§ I.

Non domus ulla fores babuit; non fixus in agris,

Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Tibullus Lib. I. Eleg. III. vs. 43 & 44.

Utitur

(*c*) L. 19. ff. de statu homin.

(*d*) L. 24. eod.

Utitur hoc loco Poëta dicendi formula *fines regere*, eadem JCTi usi sunt (e), unde etiam in Dig. (f) & in Cod. (g) tituli, quorum rubra, *finium regundorum*, inveniuntur, atque hoc olim erat argumentum Legis Mamiliæ, de qua nuper eruditissime egit consult. C. Saxe (h).

§ II.

Pocula sunt fontes liquidi. — — — —

Virgilius Lib. III. Georg. vs. 529.

Poëta ait, pecorum pocula esse fontes liquidos, Gratianum Valentianum & Theodosium Impp. eodem modo flumina *commune poculum*, nominasse (i) adnotavit Scipio Gentilis JCTus (k).

§ III.

— — — — *Moresque viris & mania ponet.*

Lib. I. Aeneid. vs. 268.

Hæc Jupiter ad Venerem de fatis Aeneæ loquitur, moresque pro legibus, ut & alibi sæpius, merito adnotante Servio, usurpavit

(e) Vid. Heyne ad hunc locum in notis.

(f) Lib. X. Tit. I.

(g) Lib. III. Tit. XXXIX.

(h) In disputatione Juridica de hac materia die 30. Septembris 1779. Trajecti ad disceptandum proposita. cuius Auctoris non tantum in rebus disponendis judicium; sed etiam scribendi elegantiam miror.

(i) L. 12. C. de re milit.

(k) Lib. II. Parerg. cap. XVII.

pavit, quod etiam JCtis proprium, sic Modestinus ait, *pænam paricidii more majorum esse institutam* (l).

§ IV.

— *Dolus an virtus, quis in hoste requirat.*

Lib. II. vs. 390.

Vocem *dolus* in bonam partem hic sumtam esse, patet, idque eodem modo, ac JCti inter bonum & malum dolum distinguunt, & Ulpianus docet, *veteres per dolum bonum, idem, ac Poëta noster, nimirum: Solertiam, maxime, si adversus hostem, laironemve quis machinetur, intellexisse, ideo prætorem distincte de dolo malo locutum esse* (m).

§ V.

— *Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames!* — — —

Lib. III. vs. 56 & 57.

Eodem modo Leo & Anthemius Imp. in rescripto suo dixerunt: *Si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat* (n), ut Scipio Gentilis optime notavit (o).

§ VI.

(l) L. 9. ff. ad L. Pompej. de parricid., vid. de hac lege J. F. Ramos Error. Trüb. de pœnis parric. Lib. III. pag. 55. seqq. edit. Lugd. Bat. 1752.

(m) L. I. §. 3. ff. de dolo malo.

(n) L. 31. C. de episcop & cleric.

(o) Lib. II. Parerg. cap. XVIII.

§ VI.

*Solemnis tum forte dapes & tristia dona,
Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache manesque vocabat
Hectoreum ad timulum: viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lachrymis, sacraverat aras.*

Lib. III. vs. 301—305.

Æneas hic narrat se vidisse Andromachen, quæ tum forte in luco ante urbem ad undam fluvii, quem Simoënta vocarant, solemnis dapes & tristia dona libabat cineri & vocabat manes ad tumulum Hectoreum inanem (non enim in illo tumulo ossa Hec-toris erant condita) quem viridi cespite & geminis aris sacrave-rat (Dii enim inferi numerum parem amabant) erat itaque locus, quem Andromache considerat cenotaphium, quod Græci appellant, idque religiosum, adnotat enim ad hunc locum Servius, *Virgilium lucum nunquam ponere sine religione*, & alibi (p) ait: *ubi cunque Virgilius lucum ponit, ibi sequitur consecratio*; licet enim nullus locus fiat religiosus, nisi in quem cadaver illatum est, tale tamen cenotaphium religiosum quoque stricto jure habetur, quia cadaver ibi esse fingitur, manes invocati eo venisse, ibique quiescere videntur; anima enim mortuorum in Deos manes con-versæ versari circa corpora & ideo sedem corporum relictorum amare credebantur, testante Macrobio (q), inde, qui humana

offa

(p) Lib. I. Æn. vs. 44r.

(q) In *Somn. Scipion.* Lib. I. cap. 9.
X

ossa effodiebat, Deos manes violabat, uti canis apud Phædrum (r), qui humana effodiens ossa thesaurum invenerat, & quia violavit manes Deos, divitiarum cupiditas illi ingesta est. Hunc locum Virgilii Marcianus Jctus quoque indicasse videtur (s), dicens: *cenotaphium quoque magis placet esse religiosum, sicut testis est Virgilius: non enim respexisse videtur ad illa verba Aeneas ad Palinurum in inferis:*

*Et statuent tumulum, & tumulo solemnia mittent,
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit (t).*

Neque ad illa, quæ dicit Aeneas ad Deiphobum:

*Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore inanem
Constitui, & manes magna ter voce vocavi (u).*

Altero enim loco deest consecratio, altero deesse videtur id, quod tamen Florentinus Jctus requirit (v), scilicet, *ut sit monumentum memoriae causa factum.*

Marciani autem verbis in corpore juris Justinianei verba Ulpiani subjiciuntur (w); nempe: *sed Divi fratres (nimirum M. Aurelius Antoninus & Lucius Verus) contra rescriperunt;* quæ verba Ulpiani ex his sumpta sunt: *si cenotaphium sit, posse hoc venire,*

(r) Lib. I. Fab. XXVI. vs. 3—5.

(s) L. 6. §. 5. ff. de divis. rer.

(t) Lib. VI. Aen. vs. 380. & 381.

(u) Ibid. vs. 404. & 405.

(v) L. 42. §. 1. ff. de relig. & sumtib. funer.

(w) L. 7. ff. de divis. rer.

venire, dicendum est, nec enim esse hoc religiosum Divi fratres rescriperunt; quæ alibi (x) invenias; licet autem Marcianus & Divi fratres de eodem cenotaphio locuti esse videantur, non tamen sibi invicem contradicunt, hic enim, uti JCtorum mos est, strictum jus; illi, sicut Imperat. in rescriptis solent, æquitatem secuti sunt.

Hæc secundum nostrum propositum sufficiunt, Virgilii auctoritatem apud JCtos satis magnam fuisse, hinc aperte patet; quæstionem autem hanc Vinnius (y) præter multos alias tractavit, sed egregie, ut mihi videtur, Galvanus hanc rem explicavit (z), quibus addi possunt Cl. van Vryhoff (a), Schroderus (b) & Cannegieterus (c).

§ VII.

*Ipse pater dextram Anchises, baud multa moratus,
Dat juveni, atque animum præsenti pignore firmat.*

Lib. III. vs. 610 & 611.

Valde proprie Maro dextram dare pignus nominat; pignus enim, quod a pugno dictum putant, significat id; quod in manus traditur, indeque pro omni re, quæ nobis cara est, & quam

quasi

(x) L. 6. §. 1. ff. de relig. & sumt. fun.

(y) In comment. ad §. 9. Inst. de. rer. divis.

(z) De usufructu cap. XXX pag 396—404.

(a) In dissertat. Philolog. Jurid. inaugur. die 31. Martii 1755. Lugd. Bat. erudit. examini submissa.

(b) Observation. Jur. Civil. Lib. II. cap. V. pag. 120.

(c) Observation. Jur. Rom. Lib. III. cap. V.

quasi manu arcta complectimur, sumitur; sic Pan ad arborem Platanum apud Statium dicit:

Vive diu nostri pignus memorabile voti (d).

Denique pignus pro eo, quod creditori in securitatem traditur, dictum est; sic Gajus Ictus ait: *Pignus appellatum a pugno: quia res, quae pignori dantur, manu traduntur: unde etiam videri potest, verum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui (e);* videantur ad hunc locum opuscula de Latinitate Ictorum, a C. A. Dukero collecta, edita, & notis illustra (e),

§ VIII.

*Visceribus miserorum & sanguine vescitur atro,
Vidi egomet, duo de numero dum corpora nostro.
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque adspersa natarent
Luminis, vidi, atro cum membra fluentia tabo. Cet.*

Lib. III. vs. 622—626.

Ex hisce versibus Poëtæ nostri procul ulla dubio Constantinus Imp. in rescripto ad Bassum (f) hæc verba desumit; *tubescenes artus atro sanguine permixta sanie defluentes;* quod merito C.

V.

(d) Lib. II. silvar. carm. III. vs. 43.

(e) L. 238. §. 2. ff. de verb. signif.

(e) Pag. 231—237. edit. Lugd. Bat. 1711.

(f) L. un. C. de emendat. servor,

V. Vonckius adnotat (*g*), & dein doct. Putmannus (*b*) eum secutus.

§ IX.

Magicas invitam accingier artes.

Lib. IV. vs. 493:

Scipio Gentilis JCtus observat (*i*), Constantium Imp. verba (*k*): *qui magicis accincti artibus pudicos animos ad libidinem deflectisse, detegentur; ex hisce Virgilii mutuatum esse.*

§ X.

Idem orans mandata dabat

Lib. VI. vs. 116:

Patet hinc verbum *mandare* esse precarium, orans enim mandata dabat, eodem modo Cynthia, seu potius ejus umbra, simplex Propertio suo mandata dat:

Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris.

Si te non totum Chloridos herba tenet. (l).

Et quid ni precarium esset, originem enim ex officio & amicitia trahit, teste Paulo JCto (*m*); habebant autem veteres dextram

ma-

(*g*) Observat. miscellan. cap. XXXII. pag. mihi 127.

(*b*) Probab. Jur. Lib. II. cap. 4. pag. 36.

(*i*) Lib. II. Parerg. cap. 18.

(*k*) L. 4. Cod. de malef. & math.

(*l*) Lib. IV. El. 7. prope finem.

(*m*) L. I. §. 4. ff. mandati vel contra.

manum fidei sacram, unde: *en dextra fidesque (n)*; & eleganter:

*Fata per Aeneæ juro dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus & armis (o).*

Ideoque dextram, tanquam signum fidei, sibi invicem in contractibus dare solebant, unde *mandare quasi manum dare*; sic Tyndarus apud Plautum ait:

*Hæc per dextram tuam te dextra retinens manu
Obsecro. —————— (p).*

Cui Philocrates respondet: *mandavisti satis (q).*

§ XI.

*Sylvius Albanum nomen tua postuma proles,
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educat silvis regem. ——————*

Lib. VI. vs. 763—765.

Patet Virgilium *postulum* quasi *postremum*, non quasi *post humatum patrem natum*, dixisse, sic Megadorus senex apud Plautum ait:

*Post medianam ætatem, qui medianam ducat uxorem domum,
Si eam senex anum prægnantem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum puerο nomen Postumus (r).*

Atque

(n) Lib. IV. Aen. vs. 596.

(o) Lib. VII. vs. 234 & 235.

(p) In *captiv.* A. II. S. III. vs. 82. & 83.

(q) Ibid. vs. 85.

(r) In *Aulul.* A. II. S. I. vs. 40—42.

Atque eam ob causam postumi ab Ulpiano J^{Cto} posteriores vocantur (s).

§ XII.

— — — — — *Primus qui legibus urbem
Fundavit* — — — — —

Lib. VI. vs. 811 & 812.

Pomponium J^{Ctum} hæc verba imitatum esse, ubi ait: *placuisse
constitui decemviros, per quos civitas fundaretur legibus* (t), Scipio Gentilis diu adnotavit (u).

§ XIII.

Tango aras, mediosque ignes & numina testor.

Lib. XII. vs. 201.

Hic mos tactis aris jurandi erat notissimus, nimirum, quia, quæ oculis conspiciuntur animos fortius movere solent, plurimæ gentes jurijurando externum cujusdam rei contactum addere solebant, unde etiam aris sublatis Christiani tactis sacrofancis euangeliis jurabant, sic Justinus Imp. vult, *ut patroni causarum
lite contestata sacrofancis euangeliis tactis juramentum præstent* (v), & Justinianus Imp. loquitur de jurejurando euangeliis ante judicem positis præstanto (w).

(s) L. 3. §. 3. ff. de injusto rupto iurito facto testam.

(t) L. 2. §. 4. ff. de origine Jur.

(u) Lib. II. Parerg. cap. XVIII.

(v) L. 14. §. 1. Cod. de. Judic.

(w) L. 2. pr. Cod. de jurejur. propt. kalunn.



C A P U T III.

Ex Horatio, Ovidio & Manilio.

§ I.

*Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem.*

Horatius Lib. I. Sat. II. vs. 7 & 8.

Horatius hic optime describit prodigum, Terentius quoque talem depinxit, dixitque de illo: *patria abliguriebat bona* (x), videmus itaque Terentium, quod Horatius *rem* vocat, *bona* rominare, sæpe autem apud poëtas *res* eo sensu usurpatur sic: *rem tutari* (y), *avidus esse ad rem* (z), *rei operam dare* (a), cet. (b) apud Terentium; & apud satyrographum nostrum

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilius alga est (c).

Nec non alibi (d), eleganter quoque Juvenalis canit:

Haud

(x) In *Eun.* A. II. S. II. vs. 1—15.

(y) In *Andr.* A. II. S. I. vs. 54.

(z) In *Eun.* A. I. S. II. vs. 51.

(a) In *Adelph.* A. I. S. II. vs. 15.

(b) Ibid. A. II. S. II. vs. 12, A. V. S. I. vs. 9., A. V. S. III. vs. 44. & 48.

(c) Lib. II. Sat. V. vs. 8.

(d) Lib. I. Ep. I. vs. 65. & 66.

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. — — — — (e).*

Sic etiam apud JCtos hæc significatio invaluit, ex. gr. stricto jure, quod filius vel servus acquirebat, patri vel domino acquirebat, & itaque, si quis quid credidisset filio vel servo, illud repetere non poterat, quippe cum illis actio non erat, prætoritatem iniquum visum est, patrem vel dominum damno alterius locupletari, dedit ideo creditoribus filii vel servi actionem contra patrem vel dominum, si id, quod creditum est, versum sit in bona vel ad utilitatem patris vel domini, eamque actionem nominavit, *de in rem verso; re*, ut apud poëtas, *pro bonis sive patrimonio sumta*.

§ II. I

*— — — — Ne forte negoti
Incitat tibi quid sanctorum inscitia legum.*

Lib. II. Sat. I. vs. 80 & 81.

Merito poëta leges vocat *sanctas*, *sanc&tum enim*, Marcianus ait (f), *eſſe*, *quod ab injuria hominum defensum & munitum eſt*, & Ulpianus dicit (g), *sancta eſſe*, *quæ neque sacra neque profana ſunt, ſed ſanctione quadam confirmata*, quo statim refert leges, *ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ, quod autem ſanctione quadam ſubnixum eſt, ſanc&tum eſt*, & Tribonianus notat eas par-

tes

(e) Sat. III. vs. 164. & 165.

(f) L. 8. ff. de divis. rer.

(g) L. 9. §. 3. eod.

tes legum, quibus pœnæ constituuntur adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocari (b). Papinianus lequitur quoque de sanctione legum, *qua novissime certam pœnam irrogat ius, qui præceptis legum non obtemperaverint* (i).

§ III.

Et mibi dividuo findetur munere quadra.

Lib. I. Epist. XVII. vs. 49.

Vox *dividuus* hic sumitur pro eo, quod dividi potest, eodem sensu dicit Columella: *nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil, quod aut maritus aut femina proprium esse juris sui diceret* (k). Sic etiam apud JCtos usurpatur, uti, *legatum individuum est, quod divisionem non recipit* (l), quod totum ad legatarium pertinet sine detractione Falcidiæ, eo tamen remedio heredi relicto, ut, æstimatione facta legati, denuntiet legatario, ut partem æstimationis inferat (m); ita quoque nuptiæ dicuntur, *individuam vitæ consuetudinem continere* (n). Alio sensu dicunt Plautus: *talentum dividuum faciam* (o), pro *dividam*, & Terentius: *dividuum face* (p), *pro divide*, ubi Donatus notat, *dividuum a divisione, dimidium a*

dimen-

(b) §. 10. Inst. cod.

(i) L. 41. ff. de poenis.

(k) Lib. XII. de re rust. in prefat. num. 3.

(l) L. 80. §. 1. in fine. ff. ad L. Falcid.

(m) L. 7. L. 22. §. 3. L. 26. §. 1. eod.

(n) §. 1. Inst. de patr. potest.

(o) In Rudente A. V. S. III. vs. 52.

(p) In Adelph. A. II. S. II. vs. 32 & 33.

dimensione dici; doct. Colvius putare videtur (q), voces *dividuum* & *dimidium* idem significare, quod ex loco Plauti laudato probat, quia ibi mox sequitur (r): *dimidium tibi sume, dimidium huic cedo*; id autem inde non sequitur, ait enim Dæmones senex Labraci lenoni se divisum talentum, scilicet in duas partes, *dimidium* Labraci, alterum *dimidium* Gripho pescatori cedere, apud Apuleium vero in verbis: *dividua pars dotis posteriori filio, reliqua prioribus cederet* (s), nihil aliud quam *dimidium* significare potest. *Dividuus* etiam pro *discretus* occurrit, uti apud Ovidium:

Candida dividua colla tegente coma (t).

§ IV.

*Signius irritant animos dimissa per aurem,
Quam, quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator* — — — —

In *Arte Poëtica* vs. 180—182.

Verissima sententia Horatii, cui optime convenit dictum Triboniani JCTi, qui exhibitus tabulam graduum, quæ periit, sed saepius dilaniata in plerisque commentariis invenitur, se id facere ait, *quia veritas magis oculata fide, quam per aures animis hominum infigitur* (u).

§ V.

(q) In notis ad *Apolog.* II. Apulei pag. 268. edit. Plantin. an. 1588.

(r) L. L. vs. 53.

(s) In *Apologia* II. pag. 376. vs. 26. edit. Colvii. Lug. Bat. 1588. in edit. Elemenhorstii Francof. an. 1621. pag. 332. vs. 1.

(t) Lib. I. Amor. El. V. vs. 10.

(u) §. 9. Inst. de gradib. cognat.

§. V.

*Quid prohibetis aquas, usus communis aquarum est,
Nec solem proprium natura nec aëra fecit;
Nec tenues undas; ad publica munera veni.*

Ovidius Lib. VI. Metamorphos. vs. 349—351.

Hoc Latona ipsa sitiens, sitientesque liberos sinu fovens, dicit ad insolentes rusticos, quos, quia ei concedere nolunt, ut aquam puram bibat, postea in novam formam in ranas mutat. Confundit autem res communes & publicas, quarum usum enim modo communem esse dixit, postea munera publica nominat, ast publica contemplatione ejus reipublicæ, quæ est universi generis humani, ut quoque a Neratio JCto usurpatur (v); usum autem aquarum communem esse dixit, sic etiam Justinianus Imp. naturali jure communia sunt aër, aqua profluens, mare, littora maris (w); sed Marcianus JCtus (x) & Imperator ipse (y) hisce verbis contraria dicere videntur: sed flumina pæne omnia publica, Imp. omnia publica sunt, uti etiam Danubius apud Ausonium ait:

Omnia sub vestrum flumina mitto jugum (z).

Ast flumen ab aqua profluente omnino distingui debet, ita,

ut

(v) L. 14. pr. ff. de acquir. rer. domin.

(w) §. 1. Inst. de rer. divis.

(x) L. 4. § 1. ff. eod.

(y) §. 2. Inst. eod.

(z) Epigr. IV. vs. 6.

ut aqua profluens sit communis, flumen publicum; eodem itaque modo Ovidius ac JCti aquam, idque optime, communem dixit; solem autem nec aëra propria a natura facta esse, addit, idque, quia nullius dominio subiecta sunt, nemini in propriis bonis numerantur, sed *natura*, ut Ulpianus ait (a), *omnibus patent*; de hac autem materia multa consarcinavit V. Gaudius (b); omnino quoque de hisce versibus Ovidii legi meretur doct. Valkenaer in diatribe *de systemate Euripidis, de duobus rerum creatarum principiis* (c).

§ VI.

Ecce tibi faustum Germanice nunciat annum;

Inque meo primus carmine Janus adeſt.

Lite vacent aures; insanaque protinus abſint.

Jurgia. Differ opus, livida lingua, tuum.

Lib. I. Fastorum. vs. 63, 64, 71 & 72.

Naso hic agit de kalendis Januariis, quem festum diem pronunciat; sic etiam Valentinianus, Theodosius & Arcadius Impp. in.

(a) L. 13. pr. ff. commun. præd. tam. urban. cet.

(b) In dissertatione ad Q. Horatii Flacci Art. Poēt. vs. 128—130. Laubaci in Westeravia an. 1760 edita.

(c) In diatribe *in Euripidis perditorum dramatum reliquias* Lugd. Bat. an. 1767, edita, cap. VI., ubi tamen elegantissimum locum ex Perugilio Venetis, carmine, quod in Baudii amoribus, libello ratissimo a P. Scriverio Amstel. 1638 edito, invenitur. pag. 177—216. & pag. 431—468., & postea cum multis adnotationibus prodit Hagæ Comt. 1712, versus 59.—67.

in constitutione sua ajunt: *Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus (d).*

§ VII.

*Navigat & steriles optando sortibus annos,
Dulcibus usuris aequo quoque tempore vendit.*

Manilius Lib. IV. vs. 175 & 176.

Poëta eleganter usuras nominat dulces, eodem modo, quo etiam Ulpianus JCtus eas dulces dixit (e), cum ait: *Si vero passi sunt necessarium heredem creditores, & quasi in creditum habuerunt nomen lejus, vel dulcitudine (f) usurarum, vel qua alia ratione fecuti sunt.*

(d) L. 7. Cod. de feriis.

(e) L. 10. §. 10. ff. quæ in fraudem creditorum.

(f) Hæc vox *dulcitudo*, licet multo minus, quam *dulcedo* obvia, non tam est barbara, Ipse enim Cicero, quo melior hac in re arbiter vix produci posset, ait: *gustatus sensus ex omnibus maxime voluptarius, quippe dulcitudine prater ceteros sensus commoretur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur & respuit.* Lib. III. de Oratore cap. 25. addatur Dukerus de Latinis Juris. pag. 370.

C A P U T III.

*Ex Phædro, Persio, Lucano
& Statio.*

§ I.

*Vicini furis celebres vidi nuptias
Æsopus & continuo narrare incipit.*

Phædrus Lib. I. Fab. V. vs. 1 & 2.

Nuptiæ hic festivitatem nuptialem significant, eodem sensu ac apud Suetonium: *per solemne nuptiarum celeberrimum officium* (a); sic quoque Theodosius & Valentinianus Imp. ad Bassum (b), *nuptiarum celebritate*, & Justinianus Imp. ad Senatum (c) voce *nuptiæ* utuntur.

§ II.

Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

Lib. I. Fab. XXVI. vs. 12.

Optime hanc sententiam ad finem fabulæ, qua *vulpes prius ciconiam, ciconia eodem modo postea vulpem eluserant, posuit,* sic etiam Agamemnon apud Euripidem ait: *postquam inhonestam facere*

(a) In Nerone cap. XXVIII.

(b) L. 22. C. de nupt.

(c) L. 24. eod.

facere ausus es, sustine etiam, quæ ingrata sunt (d), idem fere Seneca ait: non est injuria pati quod prior feceris (e): & Ausonius:

————— *Sic vetus verbum jubet;*
Compedes, quas ipse fecit, ipsius ut gestet faber (f)

Atque hoc referri potest responsum Phalaris ad Perillum apud Ovidium:

————— *Pænæ mirando repertor,*
Ipse tuum præsens imbue dixit opus (g).

Sic etiam Ulpianus: quis aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit (h); & hac sententia totus titulus Pandectarum: quod quisque in alterum statuerit, ut eodem jure utatur, nititur.

§ III.

Et matronarum casta delibo oscula.

Lib. IV. Fab. XXIII. vs. 7.

Hic delibare oscula dixit, pro quo antea scripserat carpere oscula (i), Suetonius dicit, Augustum delibasse summarum acervos (k), alibi, pudicitiam delibatam (l), & eodem sensu, quo Phædrus noster:

(d) In Hecuba vs. 1228 & 1229., sed his locis omnino adde Rhadaman. tis judicium, quod vide apud Grotium de jure Bel. & Pac. Lib. I. Cap. II. § 5. num. 3. & ejus interpretes.

(e) Lib. II. de Ira cap. 30.

(f) In epistola ad Paulum pag. 340. editio Tollii.

(g) Lib. III. Tript. El. XI. vs. 51 & 52.

(h) L. I. pr. ff. quod quisque juris in alter. statuerit.

(i) Lib. III. Fab. X. vs. 12.

(k) In Augusto cap. LVII.

(l) Ibid. cap. LXVIII.

noster: *osculum delibatum digitis ad os referre* (*m*), ab hoc verbo *vox delibatio*, licet minus usitata, sine dubio orta est, qua Florentinus JCtus sensu, qui optime cum significationibus, quibus verbum *delibare* sumi vidi mus, congruit, utitur (*n*); dicit enim: *legatum est delibatio hereditatis*, ubi tamen alii male legunt *deliberatio*.

§ IV.

*An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit.*

Persius Sat. V. vs. 83 & 84.

Persius hic, cum demum liberum esse, ait, cui vitam ducere licet, ut voluit, sic etiani Florentinus JCtus ait (*o*): *libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet*, sed addit idem exceptionem, *nisi quid vi aut lege prohibetur*; eandem exceptionem Persius agnoscit, addit enim postea:

*Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit.* (*p*).

Intelligit sententias Masuri Sabini JCti, specie sic pro genere sumta, dixit, excepto, si quid lege sit vetitum, optime itaque convenient hæ Persii & Florentini JCti sententiae.

§ V.

(*m*) Ibid. cap. XCIV.

(*n*) L. 116. pr. ff. de legatis primo.

(*o*) L. 4. ff. de statu homin.

(*p*) Vs. 90.

§ V.

*Jacuere sorores
In regum thalamis, sacrataque pignora matres,
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
OEdiponionias infelix fabula Thebas:
Cui fas implere parentem,
Quid rear esse nefas.*

Lucanus Lib. VIII. vs. 404—407, 409 & 410.

Lucanus merito hæc scelera diris devovet, Parthos, qui talia perpetrabant, exsecratur, fabulam OEdipi satis notam allegans, scilicet OEdipus Lajum interficerat, Jocastamque, Lai ante uxorem, ipse uxorem duxerat, postea intelligit se filium esse Lai & Jocastæ, ideoque Lucanus facinus sponte peractum esse negat, nam OEdipus Jocastam uxorem ducens illam matrem suam esse nesciebat, hoc tamen Thebas damnare apud gentes; talia autem scelera merito nefas appellat, *quis enim monstra tanta explicat*, ait Seneca (*q*), & alibi:

*Versa natura est retro
Avo parentem (pro nefas) patri virum,
Natis nepotes miscui, nocti diem (*r*).*

Sic quoque ait Justinianus Imp. de ejusmodi nuptiis: *si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur (*s*)*; quod Paulus JCtus jam ante dixerat (*t*), sed hæc inter:

(*q*) In *Thebaid*. A. I. vs. 134—137.

(*r*) In *Agamemn*. A. I. vs. 34—36.

(*s*) §. I. Inst. de Nupt.

(*t*) L. 39, §. I. ff. de rit. nupt.

inter adscendentes & descendentes summo sensu incestæ nuptiæ dicuntur; observari præterea meretur, Lucanum distinguere videri inter illud, quod leges excipiunt, & quod nefas est, dixerat enim:

— Non ullos exceptos legibus horret
Concubitus ————— (u).

Ad quos refert polygamiam, quippe legibus prohibitam, non autem natura nefariam; incestos autem concubitus nefas vocat, si enim fas sit, incestum perpetrare, quid, ait, rear esse nefas (u); licet autem nuptias inter homines sibi invicem sanguine vel affinitate nimis arcte junctos societati majori sive reipublicæ valde noxias & severissimis pœnis puniendas esse haud negem, nullam tamen causam video, cur jure naturæ essent prohibitæ, quin nequidem ab hac generalitate matrimonia parentum cujuscunque gradus cum liberis eximi posse videntur.

§ VI.

*Certe jam Latiae non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reverja
Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.*

Cessat centeni moderatrix judicis hasta.
Statius Lib. IIII. Silvar. Carm. IV. ad Marcellum vs. 39—43.
Loqui.

(u) Vs. 402 & 403.

(u) Adde Ciceronis orat. pro Milone cap. XVI, ubi ait: *nihil cum de-
testabat, quod per naturam fas esset, aut per leges liceret, ex quo loco
differentia inter voces fas est & licet optime cognoscitur.*

Loquitur hic de feriis messium, quæ sunt feriæ solemnes sive ordinariae humanæ, de quibus etiam Suetonius agit, narrans, eo tempore, quo Julius Cæsar fastos corrigere incepit, illos adeo fuisse turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent (v); Ulpianus ait, neminem adversarium cogere posse, ut messium tempore ad judicium veniat (w); Paulus dicit, præsides provinciarum ex consuetudine cujusque loci messis causa tempus statuere solere (x); Valentinianus & Theodosius & Arcadius a diebus juridicis exceperunt dies æstivos fervoribus mitigandis (y).



C A P U T V.

*Ex Juvenali, Martiale, Ausonio,
Claudiano & Prudentio.*

S. I.

*Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a sexu.* ——————

Juvenales Sat. VI. vs. 253 & 254.

Merito poëta damnat foeminas, quæ se vestimento virili induunt, id quoque Deus vetuit Israëlitis, ut & ne viri amictum mulie-

(v) In Jul. Cæs. cap. XL.

(w) I. 1. pr. ff. de feriis.

(x) L. 4. ff. eod.

(y) L. 7. C. eod.

muliebrem induant (*a*), Ulpianus JCtus vestimenta in *virilia*, *puerilia*, *muliebria*, *communia* & *familiarica* dividit; *virilia viris*, *muliebria fœminis propria esse*, ait, *solisque communibus virum partiter & uxorem sine reprobatione uti* (*b*); patet itaque JCtum quoque damnare morem, quo fœmina virilibus, vir muliebribus vestibus se amiciant.

§ M.

*At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ
Sed tamen & ferro.*

Sat. VI. vs. 659 & 660.

Jungit hic ferrum & venenum, *rubetam enim* vetus scholia *stes explicat: ranæ, cuius viscera venenosa sunt, quod etiam eodem sensu* habet Juvenalis his versibus:

*Quæ molle calenum.
Porrectura viro miscet fitiente rubetam* (*c*).

Et Propertius:

*Illum turgentis ranæ portenta rubetæ
Et lecta exsecis anguibus ossa trabunt* (*d*).

Eleganter quoque Satyrographus noster ferrum & venenum jinxit hoc modo:

Atque

(*a*) Lib. V. D. Moſis cap. XXII. §. 5.

(*b*) L. 23. §. 2. ff. de auro, argento, mundo. cet.

(*c*) Sat. I. vs. 69. & 70.

(*d*) Lib. III. El. V. 27. & 28.

*Atque omni ex criminis lucrum,
Quæsumus & partos gladio vel pyxide nummos (e).*

Ubi vetus Scholiastes, Grangæus, Britannicus, Lubinus gladium & venenum intelligunt, Cujacius (*f*) tamen magnus ille JCtus & Criticus pyxidem explicavit per fritillum, cuius Poëta noster etiam his verbis mentionem facit:

Ludit & hæres

Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo (g).

Et significat illud instrumentum, ex quo aleæ mittuntur in alveolum, licet alii per fritillum ipsum alveolum intelligent; sed ex verbis Juvenalis patere videtur, esse illud instrumentum, quo aleæ excipiuntur, prius moventur, porro jaciuntur; si itaque Cujacii explicatio valeret, sensus esset, nummos, gladio vellus alearum partos, sed pyxis per instrumentum, quo venenum servatur, & itaque, continente pro contento posito, per ipsum venenum videtur explicanda, pyxis enim dici, quo aliquid servatur; uti apud Martialem:

Et jaceas centum condita pyxidibus (h).

Et Cicero dicit: *tradere pyxidem veneni (i);* duobus itaque hiscc locis, ubi sicarios & veneficos junxit, Juvenalis optime cum
JCti

(e) Sat. XIII. vs. 24. & 25.

(f) Grangæus ad d. l. Juvenalis locum Cujacii male hoc modo allega.
Se videtur: ad l. de aleatoribus. D.

(g) Sat. XIV. vs. 4 & 5.

(h) Lib. IX. Epigr. 37. vs. 4.

(i) Pro Cælio cap. XXV.

JCtis convenit, sic Lex Cornelia sicariis veneficos adjunxit (*k*);
quia idem crimen est homines ferro & veneno interficere (*l*).

§ III.

*Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur,
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.*

Martialis Lib. II. Epigr. 3.

Eleganter Martialis ait, Sextum nihil debere, quia nihil habet, quod solvat, illum demum debere, qui solvere potest, sic etiam alibi:

*Quod tibi non possum solvere Phœbe meum est (*m*).*

Hoc etiam apud JCtos observatum, scilicet Paulus quæstionem proponit, *si servus, qui alicui pignori datus erat, sit occisus dominusque servi, qui debitor est, debitum solvere nequeat, ideoque intersit creditoris, sibi actionem utilem ex lege Aquilia dari, propter inopiam enim debitoris, licet actio ei non pereat, via tamen, qua debitum recuperet, deest, nam qui non habet non debet solvere, ideoque dat creditori actionem utilem ex lege Aquilia ad modum debiti, domino directum, ad id, quod excedit debitum (*n*).*

§ IV.

*Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra es,
Tunc libertatem divitiasque roget?*

Pro-

(*k*) L. I. pr. & §. I. ff. ad leg. Cornel. de sicar.

(*l*) §. 5. Inst. de publ. judic.

(*m*) Lib. IX. Epig. 103.

(*n*) L. 30. ff. ad L. Aquiliam.

*Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat; res est imperiosa timor.*

Lib. XI, Epigr. 59.

Poëta hic eleganter justum metum, cuius causa si quid gestum sit, prætor edicto suo se in integrum restitutionem datarum promisit (o), describit; Ulpianus enim requirit (p), ut metus sit præsens, est autem hic sane præsens, cum stricta novacula supra est; ut sit atrox & contra bonos mores (q), satis ille atrox & contra bonos mores mihi videtur; Paulus adhuc addit, ut sit majoris impetus, qui repellere non potest (r), neque hocce requisitum hic deficit; nihil itaque hic desiderari patet, & Martialis, si quid tonsori dedisset, aut promisisset, restitutionem in integrum regare posset; sed aliud remedium sibi, vitæ periculo sublato, procuraturum ait:

*Sed fuerit curva cum tutâ novacula theca,
Frangam tonsori crura manusque simul.*

§ V.

*Quid prudentis opus? quum possit nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse & velle nocere.
Ausonius in sententiis septem sapientium (s).*

Hanc

(o) Tit. ff. quod met. causa gest. erit.

(p) L. 9. ff. eod.

(q) L. 3. §. 1.eod.

(r) L. 2. eod.

(s) In edit. Tollii Amstel. an. 1671. pag. 283.

Hanc sententiam Bias profert; idem fere Cleobulus:

Quanto plus liceat, tam libeat minus (t).

Putmannus huic sententiæ dictum Senecæ addit (u);

Id facere laus est, quod decet, non quod licet (v).

Et confert hæc cum verbis Ulpiani dicentis (w), *eum, qui, cum alterius vinum effundere posset, non effundit, laudandum esse*; & Pauli; *non omne quod licet honestum est (x)*, his addi posse videntur hi versus Senecæ:

*Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor,
Minimum decet libere, cui multum licet (y).*

Et illi Poëtæ incerti:

*Omnia cum posses, tanto tam carus amico,
Te sensit nemo velle nocere tamen (z).*

Ad quos vide P. Burmannum (a); certe hæc omnia bene conveniunt, & plus quam verisimile est, alterutrum JCTorum ex poëtis sententiam suam desumisse.

§ VI.

(t) Ibid. pag. 189.

(u) Lib. II. Prob. jur. cap. XVII. §. 3.

(v) In Oſſav. A. II. vs. 455.

(w) L. I. §. 3. ff. de per. & comm. rei venditæ.

(x) L. 144. ff. de regul. jur.

(y) In Troade A. II. vs. 332. & 334.

(z) Eleg. in Mecænatis obitum, in Anthol. veter. poëtar. Latinor. P. Burmanni Lib. II. Carm. CXIX. vs. 15. & 16.

(a) In Mantissa adnotatio, ad h. l. Tom. II. Anthol. pag. 719.

§ VI.

*In commune jubes si quid censesve tenendum,
 Primus iusta subi, tunc observantior æqui
 Fit populus, nec ferre negat, cum viderit, ipsum
 Auctorem parere sibi. Componitur orbis
 Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus.
 Humanos edicta valent, quam vita regentis.*

Claudianus de IV. Consulatu Honorii vs. 296—301.

Egregium Claudiani dictum, Principem ipsum legibus parere decere, melius enim (ut ait Plinius (b)), homines exemplis docentur, quæ imprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse; Jcti idem censuerunt, ait enim Paulus: decet iante Majestati (scilicet Imperatoriæ) illas servare leges, quibus ipse solitus esse videtur (c), quo etiam referri possunt verba, sive sint Macri sive Paterni: officium regentis exercitum non tantum indanda, sed etiam in observanda disciplina constitit (d), ad quem locum omnino videatur doctiss. G. Majansius (e). Idem quoque Impp. ipsi dicere haud dubitarunt, sic Theodosius & Valentianus, digna vox est (inquit (f)) majestate regnantis, legibus allegatum se principem profiteri, adeo de auctoritate juris nostra

pendet

(b) In Parergyr. ad Trajan. cap. XLV. num. 7.

(c) L. 23. ff. de legat. III.

(d) L. 12. pr. ff. de re milit.

(e) In commentario ad triginta Jctorum fragmenta, Tom. II. ad fragm. Tarrunteni Paterni pag. 300 & 301, edit. Geney. 1764.

(f) L. 4. Cod. de legibus,

pendet auctoritas, & revera majus imperio est submittere legibus principatum; Alexander Imp. ait: licet lex imperii solemnibus juris Imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere (g); & denique Justinianus, optimus ille princeps, juris nostri egregius auctor, vel potius consarcinator, probat dictum Severi & Antonini Impp.: licet legibus soluti simus attamen legibus vivimus (h), una tamen lege, qua donationes inter virum & uxorem vetantur, se suamque conjugem plane solutos esse voluit (i).

§ VII.

*Sunt hæc barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit. ——————*

Prudentius Lib. I. contra Symmachum vs. 450—452.

Barbaricis pagis utitur pro paganis, eodem modo Justinianus Imp. in Institutionibus ait: & bellicos quidem sudores nostrros barbaricæ gentes sub juga nostra redactæ cognoscunt (k); ubi per barbaricas gentes itidem, ut apud Prudentium pagani intelligendi videntur, pagi vero ab Isone Magistro, auctore glossarum in versificatorem nostrum, explicati legi possunt apud Weitzium (l).

§ VIII.

(g) L. 3 C. de testam.

(h) §. 8 quib. mod. testam. infirm.

(i) L. 26. de donat. int. vir. & uxor.

(k) In proœm. Instit. §. I.

(l) In Sylloge annotation., scholior., observation. & notar. in Prudentium collecta ab J. Weitzio Hannoviæ an. 1613. pag. 887.

§ VIII.

— Conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia & artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii. —

Lib. II. contra Symmachum vs. 613—616.

Optime Prudentius ait, inter cives Romanos esse commune forum, quo litigent, commune commercium, commune connubium; cives enim Romani inter se tantum justas contrahunt nuptias (m); liberos autem homines omnes, qui in imperio Romano sunt, cives Romanos constitutione Antonini Imp. factos esse, Ulpianus testatur (n); unde Modestinus Romam *communem* vocat *patriam* (o), & merito Prudentius alibi canit:

*Vivitur omnigenis in partibus hanc secus, ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito (p).*

Nec non Rutilius Numantianus in itinere suo:

*Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit injustis, te dominante, capi.
Dumque offens viciis proprii confortia juris,
Urbem fecisti, quod prius orbis erat (q).*

(m) Pr. Inst. de nuptiis.

(n) L. 17 ff. de statu hominis.

(o) L. 23 ff. ad municip.

(p) Lib. II. contra Symmacb. vs. 609—611.

(q) Lib. I. Itinerarii. vs. 63—66.

PARTIS PRIORIS

Supplementorum & emendationum

ANALECTA.

C A P. I.

§ II. Pag. 6. J. G. Michaëlis in notis ad Roberti Lowth
prælectiones de *sacra poësi Hebræorum* de legibus carmine compo-
sit is quædam narrat, atque adnotat, leges Suēcicas hoc modo
anno 1748. prodiisse (a).

§ VI. pag. 8. Legem, qua carmen infamandi alicujus cau-
sa compositum prohibetur, invenias apud Gothofredum in *qua-*
tuor fontibus juris civilis (b), atque huc etiam referas, quæ ait
Paulus JCtus: *Qui carmen famosum in injuriam alicujus, vel alia*
quælibet canica, quo agnoscit posse, composuerit, ex auctoritate am-
plissimi ordinis in insulam deportatur: interest enim publicæ, disci-
plice, opinionem uniuscujusque a turpi carminis infamia vindicare.
Carmen facit non tantum, qui satyras & epigrammata, sed illegiti-
mam insectandi alicujus causam, quidve aliud alieno genere componit (c).

Stracht.

(a) Ad prælect. I. num. 10 in edit. Oxon. pag. 13.

(b) Lib. III. ad Tab. VII., Tom. III. Thesauri Jur. Ottonis pag. 118.

(c) Lib. V. receptar. sentent. Tit. IV. § 15., in Schultingii Jurispr. Ab-
te Justinian. pag. 444 & 445.

Struchtmeyerus vero pro: *sed illegitimam insectandi alicujus causam*, legit: *sed elegiam insectandi alicujus causa (d)*, Cannegieterus autem: *sed ille, qui thimam seu themam insectandi alicujus causa (e)*.



C A P. III.

§ IV. pag. 14 & 15. Panzirolus periocham in libros Virgilii Modestino Jcto tribuit (f); J. van Nispen in dissertatione Academica de fragmentis Herennii Modestini (g) allegat versum Henelii (h), qui inter alia de Modestino hæc canit:

*Aonios cultu gestavit pectore fontes;
Scripsit Apollinea carmina digna cheli.*

Ipse tamen ampliss. van Nispen putat, illas periochas recentioris Scholastici esse, qui Nasonis nomen sibi tribuit, indeque illa tetraslicha in Virgilii editione anni 1552. (quam antiquam & rarissimam nominat) forte etiam, addit, & in aliis, quas non vidi (in editione autem illa allegata multo antiquiore id etiam legi, supra annotavi) Ovidio Nasoni adscribuntur (i).

In

(d) Animadvers. Criticar. Lib. I. cap. 13. pag. 78.

(e) Ad fragmenta veter. jurisprud, cap. XXII. pag. 303.

(f) De claris leg. interpret. Lib. I. cap. LIX. pag. 58 edit. Lips. 1721.

(g) Edita Lugd. Bat. 1750. eamque invenies in Thesauro dissertat. juridic.

a G. Oetrichs curato; Vol. I. Tom. I. pag. 3—106.

(h) Pag. 3.

(i) Pag. 9.

In Anthologia veterum Poëtarum Latinorum P. Burmanni Secundi (*k*) legitur egigramma Modestini cuiusdam *de Amore*, cuius carminis auctorem forte Modestinum JCtum esse putat Cl. Saxius (*l*).

§ IV. pag. 16. His, quæ Scipio Gentilis de poëtis eorumque carminibus, a JCtis laudatis, adnotat, addi possunt, quæ doctiss. Budæus de auctoritate Homeri, aliorumque poëtarum (*m*), & Ludovicus Malquytius, sed minus accurate quam Gentilis, adnotarunt (*n*). In Germania anno 1775. opusculum prodiit, cuius titulus est: *Beyträge zu der Juristischen Litteratur in den Preußischen staten; erste Sammlung*, in quo invenitur disquisitio de dignitate poësos in iure, quæ recensetur in libro: *Allgemeine Deutsche Bibliothek* (*o*).

C A P VII.

§. IX. pag. 27. Hic quoque notari posset eandem superstitionem de lectione Poëtarum Ethnicorum etiam seculo XVIto. in

Ba-

(*k*) Lib. I. Epigr. 31. pag. 16 & 17,

(*l*) In præfat. part. I. Onomastici pag. XXX.

(*m*) In adnotation. ad ff. ad L. 1. de contr. empt. vendit. pag. 554. fqq. edit. Lugd. 1561.

(*n*) Lib. II. *de vera JCTorum Philosophia*. cap. 24., qui libellus cum aliis duobus, titulo *Triga libellorum rarissimorum* a N. H. Gundlingo JCto editus est Halæ Magdeburg. 1727. in 4.

(*o*) XXXVII. Bandes ersten Stück pag. 122. edit. an. 1778.

Batavia invaluisse; scilicet doct. H. Verheyk in oratione seculari *de antiquitate & vicissitudinibus scholæ Amstelædamensis* (p) memorat, legem quandam a Magistratu Amstelædamensi Scholarum Reclori præscriptam (q), quam in annotationibus totam descripsit (r); est autem hæc: *de rectoirs zullen voort gehouden zyn de jongen te leeren poëtriam cristi & pauli ac aliorum apostolorum boven alle droomen en fichtmenten der poeten quæ magis expedit obliuisci quam discere;* eaque lex lata est die 18 Novembris anno 1521.

(p) Hæc oratio edita est an. 1778. in 4.

(q) Pag. 21.

(r) Pag. 135.



PARTIS ALTERIUS

*Supplementorum & Emendationum**ANALECTA.*

PROLOGOM.

§ I. Pag. 31. Quantum animus Euripidis a forensi disciplina abhorruerit, e Bibliotheca Critica discitur, atque eum in fabulis accerrime saepius reprehendisse caussidicorum genus (a), ut ex hoc loco patet:

*Ingratum vestrum genus, quotquot forenses
Seccamini honores, utinam non cognoscamini mibi (b).*

Ita enim vertit J. King (c).

§ IV. pag. 38. Testimoniis poëtarum de JCtis omnino adantur, quæ Manilius, singulorum Zodiaci signorum genituras enumerans, de genitura libræ canit:

Hic

(a) Parte IV. pag. 7., locum, quo caussidicos carpit vide ibid. pag. 22.

(b) In *Hecuba* vs. 254. & 255.

(c) In editione, quæ cura T. Morelli prodiit Londini 1748. pag. 37. his addi potest Valckenaer diatribes in Eurip. perditor. dramat. reliq. csp. XXIII. de eloquentia abusu in Attica republica.

*Hic etiam legum tabulas, & condita jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba;
Et licitum sciet & vetitum quæ pœna sequatur,
Perpetuus populi privato in limine prætor.
Non alio potius genitus sit Servius astro,
Qui leges proprias posuit, cum jura retexit (d).*

Ubi tamen alii legunt:

Qui leges potius posuit, quam jura retexit.

Et paulo post (e) de legislatoribus sub eodem signo natis etiam memorat.

S E C T I O N . I.

C A P . I.

§ III. pag. 50. Ad hunc locum Plauti inspiciatur quoque doct. J. H. C. de Selchow in *elementis antiquitatum juris Romani publici & privati* (f).

§ IV. pag. 54. Ad hanc materiam, scilicet de moechis ipso facto deprehensis, castrari solitis, omnino referendus est locus Plauti, ejusque ingenio lepidissimo dignus: scilicet Milphio rogat Synceratum: *quid agis?* respondet Synceratus:

Facio,

(d) Lib. IV. vs. 209—214., quem ad locum non nulla monuit Otto in vita Serv. Sulp. cap. VI. §. 8. Tom. V. Thes. Jur. p. 1593. sq.

(e) Vs. 549—553.

(f) Parte I. Lib. II. Cap. VII. Sect. III. §. 303.

— *Facio, quod manifesto mœchi baud ferme solent.*

Rogat rufus Milphio: *quid id est?* respondet denique Synceratus: *refero vasa salva* (g), *nimirum membra virilia, quæ mœchi* *baud ferme salva referre solent, quia sæpius castrantur.*

§ VI. pag. 54 & 55. Videatur de hoc loco Heineccii *commentarius ad Legem Julianam & Papiam Poppæam* (h).

C A P. III.

§ III. pag. 70. De tempore partus humani addi possunt, quæ B. H. Reinoldus, Antecessor quondam Viadrinus, de hac materia profert (i).

§ VI. pag. 75. De magis legi meretur doctissimus H. Cannigerius (k).

Pag. 79. Locum Sereni Sammonici tractarunt Claverius in *miscellis ad Claudianum* (l) & P. Burmannus in notis ad Valesii emendationes (m).

Pag.

(g) In *Penulo A.* IV. S. II. vs. 40 & 41.

(h) Lib. II. Cap. XII. § 3.

(i) Varior. Cap. XXXVIII. in opuscul. Juridic. curante J. F. Juglero, Lugd. Bat. an. 1755. editis, pag. 215 — 218.

(k) In *commentar. ad Fragmenta veter. Jurisprud.* Franeq. an. 1765. edito ibique Cap. XXII. pag. 291. fqq.

(l) Cap. XVIII. eaque inveniuntur in edit. Claudiani a P. Burmanno Secundo Amstel. 1760. curata pag. 717.

(m) Ad Lib. I. cap. II.

Pag. 82. De lege Constantini Imp., qua omnis pœnæ metu liberat eos, qui remedium magicum ad salutem hominum quæsiverunt, videatur Matthæus de *criminibus*. (n).

C A P . IV.

§ VI. pag. 96 & 97. Ad illum versum Manilii & responsum Neratii Jcti etiam referri possunt hæc verba Rutilii:

Quid loquar aërio pendentes fornice rivos?

Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas (o).

Et ad hunc locum omnino legendus est Sitzmannus in animadversionibus, qui ibidem correctionem Cujacii in verbis Neratii, refutat (p).

C A P . V.

§ VI. pag. 104 & 105. Broukhuisum idem ad eundem locum Tibulli jam ante doct. Heyne observasse, postea didici; addantur autem versus Silii Italici:

Concilium vocat augustum, castaque beatos

Paupertate patres. —————— (q).

Et.

(n) Ad Lib. XLVIII. D. Tit. V. cap. V. §. 7.

(o) In Itinerario vs. 97 & 98.

(p) Quæ in editione Rutilii, quæ ex museo Th. J. ab Almeloveen Amstel. 1687. in 12. prodiit. pag. 112. inveniuntur.

(q) Lib. I. vs. 609 & 610.

Et videatur ad illum locum Drakenborgius; adde quoque illum
versum D. Catonis:

Exiguum munus quum dat tibi pauper amicus (r).

Et vide Arntzenium ad eundem, ibi autem *paupertas* etiam *pro
modico patrimonio* sumitur: in illo vero versu:

Paupertatis onus patienter ferre memento (s).

Arntzenius pro *egestate* sumi putat.



S E C T I O N . II.

C A P . III.

§ VI. 130 & 131. Hunc locum etiam explicat J. H. C.
de Selchow (t).

§ VIII. pag. 133. Ad locum hunc Horatii legi possunt doct.
G. D'Arnaud (u) & G. Meerman (v).

C A P .

(r) Lib. I. distich. 20.

(s) Ibid. distich. 21.

(t) Antiq. Jur. Rom. Parte II. cap. IV. Memb. I. §. 698.

(u) Variar. conjectur. Lib. I. cap. 13.

(v) In dissertat. antiquario-juridica inaugurali *de rebus mancipi & nec
mancipi* Lugd. Bat. die 22 Julii 1741 publicæ disquisitioni exposita, nume.
293. pag. 178. sqq. & aliis locis.

C A P. IV.

§ II. pag. 136. Lectio Burmanni defenditur a celeb. J. de Rhoer (x), lectionem vero vulgarem contra consult. Wolbers defendit doct. Vonckius (y), quem tamen in adlato e Catonis distichis loco falsum suisse, monuit Auctor opusculi, cuius titulus: *Nederlandsche geleerde fama* (z); quid autem verba dare significet, vide apud doct. Reizium (a), & Arntzenium (b).

C A P. V.

§ I. pag. 141 & 142. De versu Juvenalis allegato videatur J. H. C. de Selchow (c).

§ X. pag. 152. Idem de Selchow egit de loco Juvenalis quem in fine laudavimus (d).

(x) Feriar. Daventriens. Lib. I. cap. III. pag. 27.

(y) Observation. miscellanear. cap. XXXVII.

(z) Pag. 74. & seqq. edit. Zwollæ die 18. Martii 1758.

(a) *De ambig. med. & contrar. ad vocem verbum.*

(b) Ad Arator. de actib. Apostolor. Lib. II. vs. 41. edit. Zutph. 1769.

(c) Antiquit. Jur. Rom. Par. II. cap. II. Sect. I. §. 490.

(d) Ibid. Sect. III. § 548.

T A N T U M.

T H E.

T H E S S.

- I. *Lectione veterum poëtarum Jure utilissima est.*
- II. *Confobrinorum nuptiae Jure Justinianeo sunt licite.*
- III. *Tutoris datio est extraordinariae jurisdictionis.*
- III. *Jus de tute suspecto cognoscendi pertinet ad jurisdictionem ordinariam.*
- V. *Tutor ob latam culpam remotus non sit infamis, nisi in rebus suis fuerit diligentior.*
- VI. *Testator cautionem fructuariam in testamento remittere non potest.*
- VII. *Positi in conditione non sunt positi in dispositione.*
- VIII. *Pacta contractibus stricti juris adjecta non insunt contractibus a parte actoris.*
- VIII. *Mutui datione fit alienatio.*
- X. *Mulierem, quæ partum sibi abegerat, temporali tantum exilio Jure Civili punitam fuisse verosimilius est.*
- XI. *Præfides non habuerunt jus deportandi, nisi illis specialiter concessum esset.*
- XII. *Status naturalis hominum, oppositus statui civili, non est fictio duntaxat, sed & existit ante civitates constitutes, & existit, ubi nulla civitas est, & inter gentes diversas.*
- XIII. *Non autem illo statu brutis omnino similes homines ac feri statuendi sunt, quales olim finxerunt, atque pinxerunt Lucretius & Horatius, & nostra ætate Russavus.*
- XIII. *Laudandæ sunt leges, quibus aëlio denegatur aleatori vincenti, atque repetitio soluti conceditur.*

XV. Fidejussionem pro criminis capitalis reo, neque alias suscipere
neque judex aut legislator jure permittere potest.

XVI. Incestus quid sit Jure Naturæ dici non potest.

XVII. Neque enim ullum matrimonium ob illam solam rationem, quod
contrahentes sanguine vel affinitate jungantur, prohibitum est lege
Naturali.

XVIII. Quin ne quidem hic eximi possunt matrimonia parentum cu-
juscunque gradus cum liberis.

XVIII. Attamen ratio jubet, ut, in qualibet societate majore illi,
penes quos arbitrium \mathfrak{G} imperium est, ejusmodi nuptias prohibeant.

XX. Connubium inter sanguine vel affinitate junctos non prohibetur
aliquo pudore, horrore, vel metu naturali.

TER

TER BEVORDERING

Van mynen hooggeachten vriend

DEN WEL. ED. HEERE

WILLEM CORNELIS ACKERSDYCK,

Tot Doctor in de Regten.



Geluk, myn vriend, dat gy, in 't loflyk spoor getreeden
Van uwe vadren, nu door uwe noeste vlyt,
Door vaardigheid van geest gevoegd by reine zeden,
Tot dezen hoogen trap van eer geklommen zyt.
Het heilig regt, dat gy uyt Romes puikpoëeten
Zo fraai hebt toegeligt, is over u verheugd,
Justinianus wil u zellef welkom heeten
In Themis tempel, daar't alom weergalmt van vreugd:
De gantsche dichtrenschaar verheft haar dankbre klanken
Voor uwen arrebeid aan hun geschryf besteed:
Virgil, Ovidius, Lucanus moet u danken,
Elk hunner heeft voor u een laurenkrans gereed.
Zal ik myn heesche stem met zulke helden menglen,
Zal ik — maar zagt, ik zwyg, uw groote needrigheid
Verbiedt my naar verdienste een laurenkroon te strenglen
Voor u, wien Pallas zelf ten wysheid tempel leidt.

C c

Wel.

Welmeenend wensch ik u, 't geen ooit een vriend kan wenschen
Aan hem, wien hy, gelyk een' andren zich bemint:
Wees steeds een voorspraak van verongelykte menschen,
Help de onderdrukte weeuw, en 't ouderlooze kind,
't Bestuur der stad, die uw geslacht zo lang zag bloeien
In aanzien, eer en roem, worde U ook toevertrouwd,
Zy zie, gelukt myn wensch, uw' roem geduurig groeien
In weerwil van de nyd, die yder onheil brouwt.
Kan u de zachte band des huwlyks ooit bekooren,
Een kuische maagd, wier deugd, wier vriendlykheid en leest
U tot genoegen strekt, zy U ten deel beschooren,
Geen onheil, geen verdriet kwel ooit Uw' blyden geeft
De oprechte vriendschap, die ons samen heeft verbonden,
Groei, zo ze groeien kan, nog daaglyks meer en meer,
De vriendschap blyv, zo lang wy leeuen, ongeschonden,
Ja de eeuwigheid herstel na onzen dood haar weer.

P. V A N E Y K,
Scholar. Sylvaducens. Præcept.

AAN

A A N D E N
W E L E D E L E N H E E R
WILLEM CORNELIS ACKERSDYCK;

*By gelegenheid dat zyn Wel Ed. bevorderd
werdt tot Meester der beide rechten.*



Myn Ackersdyck! na zulk een taai geduld
Ziet gy uw wensch vervuld,
Uw vlyt en zweet betalen,
Vrouw Themis lacht U aan
En dekt uw schedel in haar grootsche tempel zaalen
Met groene lauwerblaen.



Hoe juist dan vat myn kunsteloze hand
Het speeltuig van den wand!
De blydschap doet my zingen
Voor Pallas grootste vreugd,
Voor Themis wellust, voor de bloem der jongelingen,
Het effen beeld der deugd.

Gelukkig land! waar in de onnozelheid
Getrouw wordt voorgepleit,
Een tedre wees zyn vader,
Een weeuw haar gade vindt
In zulk een regter, die en straf en loon te gader
Aan regt en wetten bindt.



Gy boogt met regt van zulk een edel pand,
Myn dierbaar Vaderland!
Hier biedt U 't Stichtsch Atheenen
Den schoonsten Jongling aan,
Die zal aan weeuw en wees geduldig 't oor verleenen,
Daar zult gy wel by staan.



Zy juichen reeds op 't hooren van uw naam,
Myn Ackersdyck! uw Faam,
Zal zelfs haar regt beschermen.
Zy wachten uur op uur;
Ja uwe vaderstad wacht reeds, met open armen,
U binnen haaren muur.



Wat taalhelaasch! moest dat nootlottig woord,
Ach was het nooit gehoord!
Myn veege mond ontglippen,
Gy roeft myn besten vriend
O losberaade tong! o onbedachte lippen!
Waar heb ik dat verdiend:

Dan

Dan zacht: zou ik myn vriend! om uw gemis
Myn bittre droeffenis
Den loffen teugel vieren
En de onschuld achter staan?
Neen Ackersdyck gy moet, bekranft met eerlauwrieren
Het regt bepleiten gaan.



Ga vrolyk dan naar uwe Hertogstad,
Uw wieg en bakermat,
De welvaart volge uw treeden
't Genoegen aan uw zy,
Bemin altyd de deugd, leeft met uw lot te vreden
En denk daar by aan my.

JBS. VAN BOSVELT,
S. Th. St.

Cc 3

AAN

A A N M Y N
Z E E R W A A R D E N E N H O O G G E A C H T E N V R I E N D
W I L L E M C O R N E L I S A C K E R S D Y C K,

*Ter gelegenheid van zyn Edel. bevordering
tot Doctor in beide Regten.*

Geluk ô Letterheld, gy ziet uw vlyt betaald:
Gy moogt de vruchten van uwe oeffeningen plukken,
Nu gy in 't letterperk den lauwerkrans behaalt,
Die Themis eigen hand op uwe kruin zal drukken.
Ga naar uw vaderstad, bemin het deugden spoor,
Leef vrolyk, vergenoegd, en sta daar de onschuld voor.

J A N V A N B O S V E L T,
J. U. Stud.

BY

B Y G E L E G E N H E I D

*Der openbaare Bevordering van mynen
waarden en hooggeleertzen Neef*

WILLEM CORNELIS ACKERSDYCK,

Tot Meester der beide Rechten.

Zo zien wy uwe vlyt beloonen,
Myn waarde Neef! myn Boezemvriend!
En uwen jongen schedel kroonen
Met de eerkroon, die Gy hebt verdiend.
Kom, laaten nu Apollo's helden
Uw' welverdienden lof vermelden,
Dit voegt myn laage Zangster niet,
Daar zelf uw hart, met my verbonden
Door banden, die wy nimmer schonden,
My allen zegenzang verbiedt.

Doch

134

XXXXXX

Doch wilt ge, o bloem van 't stichts Atheenen!
Aan eene bâe, van 't Hemelhof
Gesmeekt, een luistrend oor verleenen,
Zo zing ik zelf de schoonste stof.
De Bron van Heil stort' haaren zegen,
Gelyk een milden zomerregen,
Op U en uwe noeste vlyt.
Toon de onderdrukte weeuw en weezen,
Die voor het schreeuwend onrecht vreezen,
Dat Gy hun trouwe Schutsheer zyt.



Laat zo het weldoan U behaagen,
Bewandel steeds het deugden pad,
Zo wordt U eerlang opgedraagen
't Bestuur van uwe Vaderstad,
Zo zien wy U op 't raadhuis treeden
Waar 't Recht, met Billykheid en Reeden
Gepaart, de hooge vierschaar spant;
Dan juichen alle Bosschenaaren,
De blydschap speelt door ziel en aeren,
Als ze U aanschouwen in dien stand.

En



En wilt ge in 't echtverbond eens treeden,
Vind dan een lieve bedvriendin,
Die door heur deugd en tederheden,
Uw hart ontvonke in reine min,
Zo slyt Ge in gulle vreugd uw jaaren,
Zo moet U altyd heil wêervaaren,
Tot dat Gy oud en afgeleefd,
Wanneer Ge 't levenslicht zult derven,
Den loon ontvangt van wel te sterven,
En juichend naar den Hemel streeft.

A. B O W I E R,
S. Theol. Stud.

Dd

AAN

A A N D E N
W E L E D E L E N H E E R E
W I L L E M C O R N E L I S A C K E R S D Y C K ,

*Op het Aanvaarden van het Meesterchap
der beide Rechten.*

*k Zie thans, o Ackersdyck! uw noesten arbeid loonen:
De blydschap lacht U aan;

*k Zie Themis zelf uw kruin, uw blanken schedel kroonen
Met groene Lauwerblaēn.

Triumph, myn Vriend! Triumph! Gy smaakt alrēe 't genoegen:
Op dezen blyden dag,
En toont aan 't Stichts - Atheen, wat uw gestadig zwoegen,
Wat nyvre vlyt vermag.

Vaarvoort, — uw schandre geeft doe U ten top-punt klimmen
Van Achtbaarheid en Eer:
Zo wordt myn wensch vervold, hoe ook de nyd mag grimmen,
En woeden keer op keer.

Zo volge U steeds 't geluk tot in uw' laatste stonden,
Dan deel ik in uw' vreugd,
Zo zie 'k eerlang uw hart aan eene Maagd verbonden,
Het sieraad van de deugd.

E. D E M A N ,
J. U. & Philos. Stud.

MYNEN

MYNEN VRIEND
DEN WEL EDELEN HEER
WILLEM CORNELIS ACKERSDYCK,

*Toen zyn Wel Ed. openlyk tot Meester in de beide
Rechten ingehuldigd wierd.*

A strea's heilig koor praalt schooner dan voorheen,
Nu ze in den braven stoet van haer geliefde zoonen
Den wakkren Ackersdyck met lauwerloof ziet kroonen,
En op den drempel van haer marmren Rechtzaal trêen.
Dit blinkend eerloon door zyne vlyt verdiend
Voorspelt een grooter heil, de voorspoed volgt zyn stappen
En haast beklimt zyn jeugd veel hooger eertrappen,
Gelukt de oprechte wensch van zyn getrouw'en vriend.

L.

A 5422 97

E R R A T A.

Pag.	7. Lin.	4. necessaria	lege necessaria.
—	9. —	4. notitiam	— notitiam.
—	9. —	9. plurinm	— plurimum.
—	9. —	16. ant	— aut.
—	14. —	9. Petr.	— Petri.
—	15. —	12. digestis	— Digestis.
—	47. —	4. Gendeville	— Gueudeville.
—	81. —	ult. Corneliad amnari	— Cornelia damnari.
—	112. —	4. iste	— isti.
—	136. —	1. vulgarius	— vulgaribus.

l 4440.

